



PRIMA DIOECESANA
SYNODVS
A IANVARIO SANFELICIO
ARCHIEPISCOPO CONSENTINO

Habita Dominica tertia, post Pentecosten, quæ incidit in diem 19. Iunij 1678. et duabus ferijs proximè secutis.

Et à Sac. Congregatione Emin. DD. S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interp. reuisa.

Ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Matris Mariæ, & Diui Francisci de Paula præcipui Ciuitatis, & Diœcesis Patroni.



NEAPOLI, Ex Typographia Michaelis Monaco 1692.

SVPERIORVM PERMISSV.

IANVARIVS
SANFELICIVS
ARCHIEPISCOPVS CONSENTINVS

Ciuitati, Diœcesique suæ, Clero,
Populoq; Vniuerso.

S.



Ogitantibus nobis Episcopalis gradus altitudinem, quæ Apostolicum fastigium æquat, statim ob oculos obuersatur periculum ruinæ imminens ab huiusmodi celsitate; ea enim innocentia morum, eo charitatis ardore eluceant oportet Episcopi, vt suæ curæ traditos populos, vel fuso sanguine, cælo afferant; ne dum curas omnes, laboresque suo gregi deuoueant. Hinc è contrà occurrit animo labes humanæ naturæ, quæ licet innumeris ad virtutem stimulis ducatur, tamen, nescio quo pacto sensim torpescit, & eo regreditur, vnde nō sinè ingenti studio, non sinè industri diligentia iussa fuit exulare. Vtinam experientia non doceremur, ra-

pi quodammodò humanum genus ad viuendi licentiã, & faciliter didiscere, quæ ad benè viuendi normam pertinent, nempè primi parentis lapsus docuit, nos nostras ruinas amare, & hæreditario quodam iure, seù potiùs crimine, eius facta imitari, cuius exitum perhorrescimus.

Infœlicem hanc hominis conditionem, æquè, ac nostri gradus altitudinẽ seriò nobis ob oculos proponens, nouimus profectò quãta ad nostri muneris partes explẽdas diligentia opus sit, nè naturæ ad malum procliuitas, nostra vel culpa, vel socordia in indignos fœtus erũpat iam indè ab huius Ecclesiæ administratione nobis demandata, omnes vires animi ad totius Diœcesis vtilitatẽ intẽdimus, ratùs sacri Pastoris præcipuum munus esse, vt nullis parcat laboribus, nihili humanam gratiam ducat, dum commissus sibi grex à salutari virtutis tramite nihil declinet. Curauimus quidèm benè conscij nostri oneris, vel Angelicis humeris formidandi, vt nihil pro humana imbecillitate omitteretur, vndè, & Deo Maximo gloria, & creditæ nobis Diœcesi incolumitas crearetur. Et quia nouimus tẽporis inuidia aboleri antiqua statuta, quæ Ecclesiasticam disciplinam muniunt, per illorum renouationem publicæ vtilitati consulere diù in animo fuit. Iam pridem profectò has synodales constitutiones promulgare debuimus ad formam inculpatæ vitæ, ad instaurationẽ Ecclesiasticæ rei; rerum expeditio quippè quæ à temporis vicibus pendet, per plures nobis rationes fuit interclusa. Et quidem cùm hæc Diœcesis plures

an-

annos ab absentia Pastoris inculta iacuisset, propè sylnescens ob defectum culturæ solum ingressi sumus; vbi priusquàm decretorum semina iacerentur, operæ pretium fuit seriò, ac diligenter telluris aliàs feracis, ac fœcundæ naturam perpendere, & suaui manu sigillatim nocentes herbas auellere. Autumauimus quidē nimis durum esse corruptelis naturæ lapsæ malo ortis tumultuarias medicinas adhibere; medici nempè vestigia sectati sumus, qui vbi ægri consuetudinem, naturamque morbi agnouit, cautè suo munere vtitur, nō continuò violenta medicamina rapiens ad vulneris curam; sed leui manu tractans plagæ cruditatem, varijs vtitur pharmacis ad vulnus leniendum. Eodem planè pacto huius Diœcesis defectus, siqui irrepserunt, curantes suauitèr, modò Edictis, modo Decretis, Præceptisque non sinè multo studio sancitis nostri gregis bono consuluimus. Tandem vbi sensimus vigere iam laudabiles ritus, & benè viuendi normam exerceri nostræ Diœcesanæ Synodi Decreta promulgauimus. Boni ergo consulite expeditionis huius moram, & quò tardiùs accidit comitiorum conuocatio, eò ardentior sit cura, eò maius sit obsequium, quò Synodales sanctiones, mores populorum dirigentes amplectamini: illarum præsidio omnes experiuntur, Congregationes Christi fidelium contra virtutis hostes muniri; ab illis ciues mutua concordia colligantur ab illis iustitiam, pietatem, & religionē docentur. Infinitum quidèm esset enumerare vtilitates, quæ ab hisce Synodis oriuntur. Scilicet ea est

mor-

mortalium conditio, vt nisi assiduis monitorum vocibus excitentur, Christi iugum facili negotio deserant, & animarum salutem negligentes, sibimetipsis ruinā moliuntur.

Quod, si quis erit, qui Synodorum frequentiam reprobet, atque existimet satis contra insurgentes corruptelas à maioribus nostris innumeris præsentibusque remedijs cautum esse; expendat quæso dolos, insidiasque, quas tegit hæc tam periculosa sententia. Sit quidem Christiana Resplubica hortus conclusus, vndique legum sepibus vallatus ad vitiorum colluuiem repellēdam, at sæpe numero singularis ferus irrumpendo per sepes depascitur huius horti delitias, nisi noua accedant præsidia, nisi vigiles adsint excubiæ. Quot clades, quot excidia sensit Ecclesia, quamuis tot Concilijs roborata, antequam muniretur legibus Tridentinis? Oportuit quidem, vt Christianum nomen intactum, illæsumque floreret, cogi in Tridentina Vrbe sapientissimorum virorum Concilium, quod non sine ingenti labore communi Ecclesiæ bono cōsuleret. Vtq; intelligeremus ad incolumitatem publicam non satis esse certa statuta sancire, quibus superiora mala iugulentur, vitentur futura; sapienti consilio statuit ille Sacrorum Heroum cætus, vt quotannis pro præsenti opportunitate Diœcesana Synodus conuocetur; nempe, vt quæ semel sancita sunt, ne in desuetudinē abeant, in memoriam reuocentur. Nouerunt quidem prudentissimi viri in varietate propè infinita temporum, caussarum locorum vtile nimis esse sæpius de-

flexa dirigere, alligare confracta; & vacillantia solidare.

Nè igitur, vel nimiæ, vel nimis austeræ videantur alicui Constitutiones, quæ à nobis promulgatæ sunt: non queratur aliquis seruatu difficiles esse: etenim, quæ Nos statuimus, præcepit antea, statuitque Sacrorum Canonum, Pontificiarum Constitutionum, Conciliorũ & Sacræ Congregationis authoritas; illis omninò nituntur hæc nostra Decreta; in quibus sanciendis nihil quidem nostro ingenio, ac voluntati indulsimus. Porrò, nè vos deterreat harum sanctionum nouitas, memineritis in hac nostra Synodo non innouari, sed firmari, quæ alias statuimus, & stabiliri Decreta in multis nostris Visitationibus habita.

Et quidem labor hic noster non aliò collimat, quàm ad Dei Maximi gloriam, huius Cleri, Vrbis, totiusque Diœcesis vtilitatem; non alius nostræ huius diligentiæ scopus fuit, quàm, vt Ecclesiasticam disciplinam in hac Diœcesi semper intactã perpetuò florentem cõspiceremus. Erunt ergò vicissim nostri gregis partes; vt, quæ monita amantissimus Pastor ad ipsius salutem tradit, hilari animo accipiat, curetque, vt ad illorum normam, vitam, moresque componat. Hoc nos de vestra pietate à maioribus vestris in vos transfusa nobis promittimus, sperantes futurum, vt pignus hoc nostræ propensionis in bonum gregis nostri vberrimos ipsi fructus pariat; vt hinc auitus huius vrbis splendor augescat in dies magis, & pietas, quæ semper floruit, nunc, vt maximè fulgeat.

De-

Demum vos omnes Ecclesiasticæ rei custodes vestrum Dignitatis gradum, vel ipsis Angelis superiorem expendite, meminerītis quæso à vobis populum exigere, vt pro vestri muneris statu hominem exuatis, vosque præstetis, si fas est dicere, mortales Deos. Irridebunt certè profani homines Synodorum sanctitatem, si vos vel digitum à vestris præscriptis discedere intelligẽt, & omnia sibi permissa existimabunt, quando vos hæredes ex asse diuinitatis inspicient minus studiosos, minusque amantes Ecclesiasticæ disciplinæ. Igitur, Fratres dilectissimi, huc vestras intendite curas, vt qua consilio, qua studio, qua exemplo populis pietatẽ, legibus reuerentiam, templis decus, religioni maiestatem augeatis. Discant à vestris moribus omnes veram vitæ felicitatem per disciplinæ amorem comparari, & denique cunctis, vt quisque sibi suadeat, etiam nunc, vt antea Consentinæ Ecclesiæ Cælum suis syderibus lucere, ita fiet, vt quod iam diu enixè à Deo bonorum omnium auctore sum precatus, hanc nostram Diæcesim viridam, florentemque omnes conspiciant, & æmulentur, atque nos inprimis, cuius nobis cura imminet singularis, ob eius fælicitatem singulari gaudio perfundamur.

SYNO-

SYNODVS CONSENTINA

CAPVT I.

De Fide Catholica.



1 AD. Fidei puritatem seruandam illæsam præcipimus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & nobis reseruata, ne quis Typographus, aut Bibliopola intra fines huius Diœcesis imprimat, aùt introducat libros quoscunque etiàm minimos absque nostra licentia in scriptis; introductos autèm teneatur reuelare, vt cognoscatur, an sint prohibiti.

2 Index paruus librorum prohibitorum ab omnibus habeatur in posterum, tàm Parochis, quàm alijs Confessarijs, vt possint exindè detegere libros vetitos.

3 Hæreticos, vèl hæresi suspectos nostræ Curiæ Archiepiscopali, vèl Supremo Sanctæ Inquisitionis Tribunali intra duodecim dierum spatium omnes, & singuli denunciare teneantur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctissimo D. N.

Papæ, & Sanctæ Vniuersali Inquisitioni Romanæ reseruatæ.

4 Inuigilent prætereà Parochi ad eliminandos Veneficos, Incantatores, Sortilegos, & alios huiusmodi, quo maiori possint studio; quosque de huiusmodi criminibus, vel de hæresi suspectos nouerint, denunciabunt Curiæ, vt contra illos procedere possit, vt Iuris est; qui verò hi dicendi sint, neminem latere credimus.

5 Eidem Curiæ posthac denũciabunt Parochi Christianos captiuos è Turcarum Regionibus redeuntes, vt examinari valeant, quid de Fide sentiant, & an impio aliquo dogmate Mahometis sint infecti.

6 Nemini fas sit repræsentare deinceps in comedijs Passionẽ Christi, & gloriosa Martyrum certamina, Sanctorũue gesta, tùm in loco publico, tùm priuato, & multo minus in Ecclesijs sinè licentia nostra. Cũ vt plurimùm in his loco deuotionis, ac profectus spiritualis, rixæ, & maiora etiã scandala excitentur.

7 Neque Clericali veste, aliaue, quæ Ecclesiasticas personas tantùm decet in scænicis, ludicrisue actibus vti, aut personato eam induere; aùt de rebus sacris verba facere in prædictis actibus.

8 Sortilegia item, aùt maleficia committentes cum expressa, vel tacita Dæmonum inuocatione, illisque vtentes: Sacramentis, Sacramentalibus, Reliquijs Sanctorum, aqua benedicta, & alijs sacris rebus, vèl verbis, præsertim Psalmis, siuè per se, siuè per alios

ad

ad malum finem abutentes, si errorem habuerint in intellectu, quod animaduertere debet Confessarius; in hoc enim casu sunt hæretici, & excommunicati excommunicatione Bullæ Cænæ Domini.

Fidei autèm professionem ad formam constitutionis Pij IV. emittere teneantur in nostra Diœcesi hæc genera personarum.

Primò intra bimestre prouisi de Beneficijs habentibus curam animarum, & personalem residētiam requirentibus.

Prouisi de Dignitatibus, & Canonicatibu s intra idem bimestre, tàm coram Capitulo, quàm coram Nobis, vel Vicario Nostro.

Ludi Magistri docentes tā mares, quā fœminas primæ grammaticæ rudimenta, & alias scientias publicè, vel priuatim domi suæ, vel alienæ, etiàm si Pædagogi sint, vel gratis doceant.

Causarū Patroni, & Procuratores in causis Sāctæ Fidei.

Examinatores, & Iudices, & Testes Synodales.

CAPVT II.

De Doctrina Christiana.

PArtes erunt Parochi oues sibi commissas pascere verbo, & exemplo, & inter alia fidei mysteria accuratè docere, cum impossibile sit sinè illorum notitia æternam consequi salutem.

Propterea omnibus Curatis nostræ Diœcesis, & huius Ciuitatis imponimus, vt singulis Dominicis diebus fidei rudimenta populo explicent, tùm mane antè, vèl inter Missæ Sacrum, tùm deindè post prãdium: ac mittant pueros cum vexillo, & aliqua imagine Christi Crucifixi, & tintinnabulo personante conuocent reliquos, etiàm adultos ad Ecclesiam, quos instruant ad formam Doctrinæ editæ à Cardinali Bellarmino.

Coadiuuent Parochos cæteri de Clero: Patres familias, & qui curam habent aliorum, non omittant eos mittere ad Ecclesiam: idipsum præstent in scholis ludi Magistri Clerici; qui tùm fidei rudimentis, tùm etiam bonis moribus discipulos suos imbuere debẽt; quodue possit succedere iuxtà votum nostrum, volumus non antea posse eos aperire scholas, nisi præuia approbatione, cognito priùs de moribus, & vita eorumdem, & postquam fidei professionem emiserint, prout hactenus laudabiliter seruatum est.

CAPVT III.

De Verbi Dei prædicatione.

CVm verbum Dei sit cibus animæ, ideò, vt par est, ministretur Christi fidelibus. Nullus Clericus, siuè in minoribus, siuè in maioribus ordinibus con-

constitutus, prædicare audeat, nisi priùs à Nobis approbatus, & emissa fidei professione, cuius rei testimonium in scriptis à Nobis habeat ad præscriptum Concilij Tridentini.

Regulares verò extra proprias Ecclesias absque examine, & licentia nostra in scriptis obtenta, minimè prædicare valeant. Prædicaturi verò in proprijs Ecclesijs præsentare se debent coram Nobis, & petere benedictionem ad præscriptum constitutionis Gregorij XV. & Clementis X.

Ad prædicandum missus more Apostolico verbum Dei disseminet in cordibus fidelium cum breuitate, & facilitate sermonis, vt à vitijs abhorrentes mala declinent, & virtutes amplectantur, vt tandèm æternam salutem assequi valeant. Et denique ad præscriptum constitutionis Leonis X. *Supernæ*, &c.

Tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aùt certum diem Iudicij prædicare, vel asserere non præsumat: & cautè prædicabit de occulto prædestinationis arcano. Miracula nõ euulget, quæ non sint vera sub pœnis contentis in Cõc. Lateran. sub Leone X. vel ab approbatis authoribus non dicta, nec de Immaculata B. Virginis Conceptione, contrà quam Pontificijs constitutionibus præscriptum est.

Abstineat omninò in concionando à vaniloquentia, seù à vanitate dicendi, à scurrilitate, à quæstionibus curiosis, à vanis paradoxis, quæ sunt supra captum

Au-

Auditorum; similitèr ab illecebris inanium verborum, quibus res non minùs varias obtrudat, & per ostentationem memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, auditorū animos, aureſque ludificiet: quāobrem Vicarij foranei, Parochi, alijque nostræ Diœcesis Sacerdotes de Concionatoribus normam huiuſmodi tranſgreſſis, nos ſtatim certiores faciant; vt exequi poſſimus quantum circà hoc de ſpeciali mandato Santiſſimi D. N. Innocentij Papæ XI. à Sac. Concil. Congregatione nobis iniunctū eſt, eoſdem Concionatores à prædicationis munere ad tempus nobis viſum ſuſpendendo, aliaque ratione pro modo culpæ eos plectendo.

Prædicantibus verò curſu Quadrageſimalis temporis volumus erogari à communitatibus locorum ſolitam eleemosynam iuxtà laudabilem conſuetudinē jamdiù approbatam, quam etiam nos approbamus, eique robur, & firmitatem adijcimus: prædicatione autèm completa, non eſt illis indulgendum ad eleemosynas colligendas, oppida, ſeù villas circumire: ſint ſolita tantùm eleemosyna contenti, quam dignum eſt erogari adinſtar operarij ſpiritualis, & magiſtratus municipales locorum ſint pro viribus grati, & ſolito ſtipendio non defraudent.

Caueat quiuis Concionator eleemosynas è ſuggeſtu pro ſe petere, aùt quas pro alijs petit ſibi vindicare: & vt omnis huiuſmodi fraudis ſuſpicio tollatur, eleemosynæ ſtatim ac collectæ fuerint Parochis tra-

tradantur, qui illas pauperibus suæ Parochiæ fidelitèr distribuant, consulto ipso Concionatore.

Noctu itidem concionari expresè eos prohibemus, ità vt post vigesimam quartam diei horam expletam, nec in feria quinta in Cæna Domini id liceat.

Parochis autèm, aùt quibuscumque alijs Concionantibus in Ecclesia, à nemine eo tempore Missæ Sacrificium peragatur, & curent ad maiorem Populi cõmoditatem inter Missarum solemnia prædicare post Euangelium immediatè antequam Symbolum fidei, seù offertorium pronuncietur.

CAPVT IV.

De Sacramentis ministrandis.

CVm Ecclesiæ Sacramenta sint Christi Saluatoris nostri fontes superfluentes, de quibus gratiæ diuinæ aquas in gaudio haurimus; conuenit, vt quã diligentissimè à Parochis, & quibus animarum cura sit demandata, rectè dispensentur. Idcircò eorum excellentiam, valorem, & vberes effectus populo sibi commisso explanent frequentèr vernacula lingua, vt de his omnibus edoctus validè, & cum fructu possit accipere.

In his verò ministrandis nouerint omnes Curati sibi vitæ puritatem fore necessariam, quæ si absit, & lethali reatu sint infecti, vel præuia confessione, vel sal-

ſaltèm per contritionem ſe diſponant ad illud delendum; ijſque vtantur ceremonijs, quibus S. Romana Eccleſia vtitur, ac nos vti docet in Ritùali Romano, quod perlegant crebrò, & illud præ oculis habeant; cum verò adminiſtrationem eorumdẽ aggrediuntur, actualem, vel ſaltèm virtualem habeant intentionem agendi, quod agunt iuxta intentionem Eccleſiæ, vel quod Chriſtus inſtituit.

Rurſus ſuperpelliceum, & ſtolam adhibeant (præterquam in caſu neceſſitatis) in Baptiſmo, vel Pœnitentia. Non audeant pro illis aliquid à quoquam exigere, ſed ſicut gratis acceperunt, gratis conferãt.

Publicos peccatores, veluti excommunicatos, concubinarios, vſurarios, aùt quouis alio publico ſcelere inquinatos arceant à Sacramentis ſuſcipiendis, nec timeant à facie potentis, potentior enìm omnibus eſt Deus, cuius gerunt vices, memores illius moniti: *Nolite Sanctum dare canibus, nec margaritas proijcere ante porcos.* Nihil, ex ſacris oleis, niſi ſacramentalitèr detur.

CAPVT V.

De Sacramento Baptiſmatis.

PRimum ordine locum concedimus Sacramento, quòd primũ obtinuit neceſſitate: ſinè illo enim, nec prima origine culpa dæleri, nec prima ſanctifica-

ficatio acquiri poteſt: hoc autem petit, vt benè conferatur. Baptiſmus proindè non niſi in Eccleſia Parochiali, vel in qua eſt fons baptiſmalis, & à ſolis Parochis, vel ab alio à nobis approbato miniſtretur; & tunc ſemper illi ſint præſentes, & diligenter proſpiciant, num ritè, & rectè baptiſmus conferatur, & ipſimet Parochi, & non alius, baptizatos, & à quo Sacramentum hoc receperint, in conſueto libro deſcribant, niſi aliud ſuadeat neceſſitas, vel vitæ periculum, & tunc omnibus permiſſum eſt hoc munus, ſeruato tamen ordine perſonarum, ità vt fœminæ cedant maribus, & mares Eccleſiaſticis, niſi peritiores fuerint fœminæ maribus. Idcircò non deſinant Parochi paruulos ſuos perſæpè docere vulgari lingua materiam, formam, & neceſſaria ad Baptiſmi collationem.

Quemadmodum circumciſio, quæ figura fuit Baptiſmi, pueris octauo die fiebat, ſic Baptiſmi collatio vltrà dictum terminum non eſt differēda. Moneant proindè magnopere Parochi fideles, vt pueros ſuos, cū primùm id facere liceat, ad Eccleſiam deferant, & ſolemnibus ceremonijs baptizari curent, quàmuis mortis periculum non dignoſcatur. Quia cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi eis ex Baptiſmo præbeatur, relicta ſit, facilè intelligitur, quàm graui culpa ſeſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratia diutiùs, quàm neceſſitas poſtulat, carere patiantur, cum præſertìm propter

ætatis imbecillitatem infinita penè pericula illis impendeant.

Ante ortum, & post Solis occasum Baptismus in Ecclesia solemniter non ministretur.

Infantes expositos, quàmuis ad collum alligatam habeant schedulam, quà eos baptizatos fuisse appareat, tamen sub conditione rebaptizari præcipimus, cum sæpiùs accidisse compertum sit matres, aut aliam fœmellam furtiuos huiusmodi partus baptizantes errasse circà materiam, formam, vel intentionem, quia plerumque timore correptæ baptizantem alium non admittunt.

Quoniam autem inter Parochos sæpè oriuntur lites, & controuersiæ, eò quòd iurisdictionem in alia Parochia exercuisse contendunt; idcircò præcipimus, quòd nullus huius Diœcesis, vel Ciuitatis Parochus alienum subditum baptizet, inuito proprio Parocho. Mandata procuratoria ad baptizandum in peculiarem codicem congerantur iuxtà Rituale Romanum, deque eis fiat mentio in libro baptizatorũ.

Sint verò Patrini vnus, vel vna, vel saltem vnus, & vna, qui tamen sint antea designati à parentibus baptizandi iuxtà decretum Sacri Conc. Trident. & fidei rudimenta non ignorent, nec aliter prohibiti, sicuti publici peccatores, & alij, ac etiam Sacerdotes sæculares, Diaconi, & Subdiaconi non admittantur absque nostra licentia. Excluduntur prætereà Regulares.

Om-

Omnes igitur vtriusque sexus hortamur, nè infantulos suos baptizandos nominibus Paganorum, aut Gentilium, vel Hæresiarcarum, sed nominibus Sanctorum iuxtà ritum christianum nominare velint, vt eos possint imitari, & in auxilium sibi aduocare, prout habetur ex nouo Rituali, cui enixè se accommodare non negligant Curati. Illud etiam aduertere satagant, vt vnum, vel saltem duplex imponatur nomen infantulo, non plura; plerumque enim cōpertum est, vt ex multiplicitate nominum varia æquiuoca fuerint suborta.

Moneant itidem Parochi matres, & nutrices, nè cum infantibus anniculis audeant in lecto cubare, sed in cullis propter suffocationis periculum vitandum detineant.

Itemque in librum redigere nomina baptizatorum nō prætermittant propria manu, idque per extensum, scilicet per litteras, & syllabas, etiam quoad diem, mensem, & annum, & non per numeros, iuxtà formulas Ritualis, & illis se subscribant, idque ad summum intrà tres dies.

Ab obstetricibus, antequam obstetriciam artem exercere incipiant, explorent Parochi, an integrā Baptismi formam memoria teneant, ac distinctè proferant; alioqui sedulò curent, vt ab obstetricando illæ se abstineant, donec prædictam formam didicerint.

Parochi mane Sabbati Sancti, & Pentecostes, veteri

combusto chrismate, nouum in fontis baptismalis benedictione adhibeant; quod plerique eorum, & ferè omnes minimè faciunt; & ad sacra olea à Metropolitana Ecclesia suscipienda non accedunt, nec mittunt, nisi post multos dies à feria Cœnæ Domini. Caueant proindè in posterum omittere, aut negligere quicquid circà has benedictiones in Rituali Romano præscriptum est.

CAPVT VI.

De Confirmatione.

SAcrosancto Chrismate confirmare quãtæ præstantiæ sit, ex eo dignosci potest, quòd vnius est ordinis Episcopalis, hæc igitur ad laudabilem vsum expostulat.

Priùsquàm Confirmationis Sacramentum ministretur, partes erunt subditos suos Parochi edocere vim, & effectus huius Sacramenti, vt dignè possint sumere; quare confirmandi habeant annos discretionis, hoc est, septimum ætatis annum completum, & si sint adulti, præmittant confessionem, si se peccati reos cognouerint, vel saltem actũ contritionis, quod & Patrini facere debent ob eiusdem Sacramenti reuerentiam: excommunicati prorsus à Patrini munere arceantur, & mares non teneant fœminas, vel ex aduerso; sic etiam qui confir-

firmatus non eſt, aliquem confirmãdum tenere nõ debet, quia ſpiritualem non contrahit cognationẽ. Reijciuntur etiam à patrini munere Regulares omnes, ac etiam Sacerdotes ſœculares, Diaconi, & Subdiaconi, eiſque alij ſubrogentur.

Nec vnus vltrà duos eodem die præſentet, nec confirmandus ſit ætate maior, quàm ille, qui patrini fungitur officio.

Curet prætereà Parochus ſingula confirmatorum, qui Parochiæ ſuæ ſubſunt, nomina, & cognomina in peculiari libro diligentèr perſcribere, nemine penitùs prætermiſſo, ad formam à Rituali Romano præſcriptam, eamque adamuſſim obſeruet.

Qui alterius ſunt Diœceſis, & in noſtra permanentem non habent incolatum ad hoc Sacramentum abſque Ordinarij ſui in ſcriptis facultate non admittantur.

Confirmandi omnes ſchedulam deferant à proprio Parocho ſignatam, in quarum ſingulis deſcriptum ſit nomen, & cognomen ipſius confirmãdi, et quòd ſciat fidei rudimenta; ac nomen etiam parentum, cum expreſſa mentione coniugij, ſi fuerint coniuges; ſi verò confirmandus non fuerit legitimo matrimonio natus, deſcribantur in ſchedula Patris, ac Matris nomina abſque mentione coniugij.

Interrogabit etiam Parochus patrinum, num ſit ipſe confirmatus, & an ſit ætate maior confirmando; atque has duas circumſtantias adnotàbit in ſchedula, & in libro, in quo deſcribi debent confirmandi.

CAPVT VII.

De Pœnitentia.

POst Baptiſmum lapſis nullum ſupereſt confugiū, niſi hoc Sacramentum. Niſi Pœnitentiam egeritis (*ait Diuus Lucas*) omnes ſimul peribitis. Ad illud ergò adminiſtrandum accedat nemo, tùm Regularis, tùm Sæcularis, qui præuio examine à nobis non fuerit reputatus idoneus, & approbatus, alioquin ſciat ab Ordinario ſe puniri poſſe cenſuris; etſi, quàmuis approbatus, quempiam abſoluerit à caſibus S. Sedi Apoſtolicæ, vel Ordinario reſeruatis, ipſo iure excommunicationem Summo Pontifici reſeruatam incurrit.

Confeſſiones non excipiant extrà ſedes confeſſionales, in quibus ſint ferreæ laminæ foratæ cum imagine Chriſti Crucifixi de foris ex parte pœnitentis, intus verò cum Bulla excommunicationum in Cæna Domini, & tabella caſuum, & cenſurarum nobis reſeruatarum.

Caueant præcipuè Parochi, & quiuis Confeſſarius, dum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrant, aùt Miſſam celebrant, confeſſiones excipere, quàmuis breuiſſimas cauſa reconciliationis, vel ſub illius prætextu.

Dum confeſſionem alicuius excipiunt, cæteros, qui confiteri volunt, longè à confeſſionalibus expectare fa-

faciant, nè illius, qui confitetur peccata, à circumstãtibus audiantur.

Confessionalia verò collocentur in loco omnibus obuio, & aperto, vbi noua fieri contingat, conformentur his, quæ habentur in nostra Cathedrali.

Cõcubinarios, si per bimestre verè fuerint separati, aùt matrimoniũ cõtrahere voluerint cũ cõcubinis, liceat absoluere, dummodò non fuerint denunciati excõmunicati, tunc enim à nobis facultas petenda est.

Conuenit ijsdem confessarijs, vt cautè, prudenter, & omni quoad fieri potest modestia se gerant in actu, quo confessionibus audiendis vacant, & nulla interim habeant colloquia, quæ ad rem non faciant.

Confessarius quiuis, nemine excepto, sciat se grauiter peccare, si pœnitentes, quos nouerit in confessione ab alijs fuisse sollicitatos, monere prætermiserit de obligatione denunciandi sollicitantes in casibus, qui in constitutione Gregorij XV. continentur, aùt docuerint pœnitentes ipsos non teneri ad denunciandum in casibus antedictis.

Si verò sacramentalis Confessionis sigillum fregerit, sciat se, siuè sæcularis, siuè regularis sit, fore denũciandum, & grauiori pœna, etiam corporis afflictiua puniendum.

Caueant confessarij pœnas pecuniarias sibi, vel eorum Ecclesijs attribuendas imponere pœnitentibus. Nec ante Solis ortum, nec post occasum administrẽt hoc Sacramentum, nec extrà propriam Ecclesiam, nisi aliud

aliud ſuaſerit neceſſitas, vel aliqua rationabilis cauſa, nunquam verò domi; liceat tamèn Confeſſario legitimè impedito domi excipere confeſſiones Sacerdotum, qui tenentur celebrare, aut ſacramenta miniſtrare. Nec inſuper audiant confeſſiones accedentium cum armis, auibus, cæteriſque inanibus rebus, nec item ad communionem admittant.

Moneantur itidem pœnitentes, quòd licèt, vbi non ſint nominatím excommunicati, poſſint cæteri cum ijſdem communicare, tùm in diuinis, tùm in humanis propter Extrauag. Martini V. *Ad euitanda.* &c. ipſi nihilominus excommunicati tolerari non poſſunt à mortali excuſari, quoties ſacro intereſunt, vel diuinis officijs, aùt cæteris huiuſmodi aſſiſtant. & alioquin experti fuimus in præteritum plurimos erraſſe Confeſſarios circà hoc.

De confeſſione infirmorum admonendi ſunt Parochi, vt ſi mulieres eiſdem confiteantur, oſtia domus detineantur aperta, vt à circumſtantibus poſſint videri, & obſeruari.

Abſoluant ſub conditione Parochi, & quicumque alij Sacerdotes, vbi caſus neceſſitatis emerſerit, moribundos ſenſibus deſtitutos, quàmuis nullum dederint ſignum contritionis, eiſdemque Sacramentum extremæ vnctionis miniſtrent.

Confeſſarius, qui alicuius infirmi confeſſionem excepit, ad hoc, vt Parochus, ſi opus fuerit inſtrui poſſit de infirmi vita, ſtatim faciat fidem in ſcriptis, vel do-

doceat Parochum de administrato Sacramento.

Medici moneant infirmos, vt faciant confessionem peccatorum, & conscientiam expient, quod, si vltrà diem tertium facere negligent, sciant se incurrere in pœnas in constitutione B. Pij V. contentas, quam à Parochis die prima Ianuarij quotannis publicari mandamus sub pænis in eadem, &c. alijsque à Summo Pontifice Innocentio XI. ad sui arbitriũ impositis.

Parochis extrà propriam Parochiam, præterquàm subditorum suorum respectiuè, confessiones auscultare nefas sit sub pœna excommunicationis, nisi generalitèr à nobis sint approbati ad confessiones per vniuersam Diœcœsim excipiendas.

Nec possunt simplices Sacerdotes à venialibus absoluere, nisi à nobis priùs approbati, sub pœna suspensionis ipso facto à celebrando nobis reseruatæ.

Remanet denique Curatis obligatio, quam ipsis strictè imponimus, denunciandi Curiæ nostræ inconfessos, & in Paschate non communicatos, concubinarios, & alios publicos peccatores.

CAPVT VIII.

De Casibus Reseruatis.

CAsus, quorum absolutio Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Ianuario Sanfelicio Ar-

 chi-

chiepiſcopo Conſentino tantùm reſeruata eſt, qui habent annexam excommunicationem.

Alloquentes abſque noſtra licentia, vel noſtri generalis Vicarij, Moniales Chorales, vel Conuerſas, ſiuè Profeſſas, ſiuè Nouitias, vel Puellas, aùt alias fœminas educationis, vel alia cauſa in Monaſterijs, vel Conſeruatorijs, ſeù pijs domibus, ſiuè per ſe, ſiuè per interpoſitam perſonam; præſertìm de rebus obſcænis, ſiuè ſub obtentu licentiæ, ſiuè abſque turpes, vel inhoneſtos actus cum aliqua ex illis habentes, aut ipſis litteras amatorias, vel alia ſcripta, aùt libros de ſimilibus tractantes, vel munera quæcumque ad inhoneſtum finem ſub quouis prætextu, ſimulatione, aut circuitu dantes, mittentes, ſcienter ferentes, componentes reſpectiuè, aut aliqua ex prædictis ab eiſdem miſſa recipientes, ac ſcienter quoque ferentes.

Matrimonium clandeſtinū contrahentes, aut non ſeruata forma à Sacro Concilio Tridētino pręſcripta; aut ante matrimonium coràm Parocho, & teſtibus, celebratum, conuerſantes cum Sponſis.

Homicidium deliberatè committentes, aut mandantes, auxilium, conſilium, uel fauorem pręſtantes; opprimentes infantes.

Falſum cum iuramento deponentes in iudicio, vel litteras, inſtrumenta, ſchedulas, proceſſus, etiā in aliqua eorum parte, ſi adſit damnum partis, aut fiſci, Bullas, ſeu quaſcumque litteras dimiſſorias ad ordines mi-

minores, vel maiores, ac etiam ad primã tonſuram recipiendos, aùt recipiendam, vèl commendatitias ad miſſas à Sacerdotibus celebrandas, aùt à Ciuitate, et Diœceſi Conſentina ſimpliciter diſcedendũ, falſificantes, eiſque ſimul vtentes, cooperantes, vel conſulentes. Item Notarij, Actuarij, & Subactuarij, Scribæ, Cancellarij, aut quicumque alij, ad quos ſpectat diminutam, aut auctam informationem cõtra aliquam perſonam non ſcribendo integrè, aut augendo dicta Teſtium, per ſe, vel per alios capientes, tàm in criminalibus, quàm in ciuilibus cauſis cooperantes, mandantes, vel conſulentes.

Caſus reſeruati, qui non habent annexam excommunicationem.

BLasphemia in Deum, vel Beatam Virginem, vel Sanctos.

Inceſtus in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ex legitimis nuptijs proueniens, vel cum cognatis ſpiritualibus quoad mares tãtùm.

Opprimentes violenter, aut violãtes virgines, præſertim ſub promiſſione matrimonij: coeũtes cum brutis: ſodomiã quoquo modo cũ maribus, vel fœminis committentes, eamue patientes, vel attentantes, ità vt ad actum proximum deuenerint; & hæc omnia, quoad mares poſt decimum quartum ætatis annum completum tantùm reſeruantur.

Exercentes cauponas, aut hoſpitia venalia, qui mulieres impudicas apud ſe retinent, & occaſioni ſunt hoſpitibus peccandi cum illis.

Concubinarij, & concubinæ vltrà duos menſes.

Inciſores arborum fructiferarum, inuito Domino.

Verberantes Patrem, vel Matrem.

Decimas Parochis, aut debita locis pijs, aut legata pia non ſoluentes.

Incendiarij non denunciati, quia ſi denunciati fuerint à Summo Pontifice tantùm abſoluantur.

Confeſſarij, qui cum pœnitentibus, ſiuè maſculis, ſiuè fœminis quomodolibet peccauerint, ſeù qualemcumque lethalem culpam in quouis peccati genere cum ijs cõmiſerint, pœnitentes ipſos peccati ſocios minimè abſoluãt ſub pœna ſuſpẽſionis ab audiẽdis cõfeſſionibus ipſo facto incurrenda, ac nobis reſeruata. Quomodò enim alios peccati labe purgabit Cõfeſsarius eadem ipſe labe pollutus, nonnè ambo inquinabuntur magis, ac magis ſordeſcent, aut quomodo is peccatũ doleat ſuũ, qui verecundiæ, & correctionis impatiens ſocio criminis illud confitetur nè corrigatur, & nec etiam erubeſcat.

Et præter hos, & alios caſus, & cenſuras in corpore præſentium conſtitutionum synodalium reſeruatas, omnes alias à noſtris prædeceſſoribus inflictas, quæ his aduerſantur. caſſamus, & irritamus, & vbi ante dictorum caſuum, & cenſurarum abſolutionem nemini reſeruauimus, eas à nobis, & Archiepiſco-

piſcopis ſucceſſoribus noſtris tantùm abſolui poſſe intendimus, à quibus omnibus, vel earum ſingulis nullus Confeſſarius tàm Regularis, quàm Sæcularis abſoluere poſſit, excepto mortis articulo, niſi legitimam facultatem à nobis, vel à S. Sede Apoſtolica obtinuerit. Vbi verò pro violatione eorum, quæ fieri præcipimus, vel prohibemus, nulla eſt enunciata pœna; eam noſtro, ac ſucceſſorum noſtrorum arbitrio itidem reſeruamus.

Declarantes inſuper, quòd omnes facultates à nobis in futurum concedendæ pro abſolutione à cenſuris, vel à caſibus nobis reſeruatis, non intelligantur cõceſſæ abſoluendi à cenſuris incurrendis propter alloquutionem cum Monialibus, alijſque degentibus intra Monaſteria, ſeu Coſeruatoria, de rebus turpibus, niſi earum expreſsè fiat mentio.

CAPVT IX.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

QVanta puritate ſit hoc auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum, quantaque veneratione habendum, & miniſtrandum, nemo, qui ſit verè fidelis, ignorare debet; in eo enim latet Chriſtus verus Deus, et verus homo, et fons omnis ſanctitatis. Circà ſumptionem talis Sacramenti omnes vtriuſque ſexus fideles doli capaces, et habiles tenentur ſaltem ſemel in anno de manu proprij

Pa-

Parochi communicare in Parochiali Ecclesia, vel in nostra Metropolitana à Dominica Palmarum vsq; ad Octauam Paschæ inclusiuè, si secus fecerint, præcepto annuæ communionis nouerint se non satisfecisse: excipe pro eo tempore absentes, qui tamen regressi, exhibent Parocho fidem communionis, vel iterum communicent. Quod si ex industria extra Parochiam, et absque Parochi licentia sacram Eucharistiam sumpserint, habentur, ac si non communicassent, nostra Cathedrali excepta.

Regulares, qui Eucharistiæ Sacramentum eo tempore administrauerint fidelibus communicantibus animo satisfaciendi præcepto annuæ communionis, sciant se ipso facto excommunicatos esse, et à Sancta Sede Apostolica absoluendos iuxtà Constitutionem Clementis V. ipsique laici famuli Regularium, tametsi in Monasterijs habitent in sua Parochiali Ecclesia communionem sumere debent. Eremitæ omnes, qui morantur intra fines alicuius Parochiæ, cum eius Parocho communicare debebunt.

Quod attinet ad venerationem huiusce Sacramenti volumus illud asseruari intus in Ecclesia Matrice, vel in Altari Maiori, vel in altero commodiori, in quo sit tabernaculum fabrefactum, et in pyxide argentea reponatur, sub qua sit maior corporalis palla substrata, et intra Tabernaculum nihil aliud reponatur, nec sacra olea, nec reliquiæ. Tabernaculi præterea ostiolum firma serula muniatur, quæ clauem habeat ar-

argenteam ſericeo laqueolorum flocco nectendam; eamque Parochus apud ſe habeat, vel in tuto, et abſcondito loco, ità vt nemini pateat, nullique laico eam credat,niſi fuerit Sacerdos probus,ac diſcretus. Ante dictum tabernaculum noctù, diuque colluceat lampas expenſis, quorum intereſt.

Hoſtiæ verò, quæ conſeruandæ erunt ſint recentes, et non ante octo dies confectæ, et forma orbiculari ſinè macula, & ſolita magnitudine, et tot reponãtur, quot nouerit Sacerdos eſſe neceſſarias pro multitudine populi, et temporis occaſione, ſed non minores quinque, octauo quoque die mutentur, idque fiat feria quinta cum celebratione Miſſæ votiuæ eiuſdem Sacramenti, niſi aliud exigat temporis occaſio.

Hoſtiæ propter reuerentiam non conficiantur à laicis, nec confectæ deinde adhibeantur in feſtiuitatibus myrtis annexæ, vel aliter proijciantur.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Parochialibus, alijſque Eccleſijs, in quibus ſeruari ſolet, non niſi in proprio altari, & cum ſacra pyxide miniſtretur, non alibi, nec aliter, quod expreſsè monemus, ac præcipimus ad maiorem tanti Sacramenti reuerentiam.

Laudabilem conſuetudinem canendi Miſſam in ſingulis Parochialibus Eccleſijs qualibet tertia Dominica de Sanctiſſimo, niſi Miſſalis rubricæ repugnent, & in fine illius ducendi ſolemniter ſupplicationem, ſeù proceſſionem per ambitum Eccleſiæ, tanquam

piam,

piam, & laudabilem approbamus, & obseruandam in posterum mandamus. Et pro maiori pietatis, seù deuotionis incremento, vbi non sit erecta Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, erigatur, & solitæ indulgentiæ per Parochos locorum euulgentur, de quibus fiat tabella, & in albo Sacristiæ pendeat.

In qualibet Parochialis Ecclesiæ Sacristia fiat repositorium, vt ibi decenter die parasceue seruetur Sanctissimum Euchareſtiæ Sacramentum pro infirmis, ibique de more lampas ardeat, & interim tabernaculi, quàmuis vacui, ostiolum apertum omnibus pateat, nec tamen cessandum à genuflectendo ante illud, si ibi sit Crux, quia in illo triduo fulget Crucis mysterium.

Sepulchra autem, quæ in Dominicæ sepulturæ memoriam construuntur in die Cœnæ Domini à fidelibus visitanda, in ijs tantùm Ecclesijs fieri permittimus, in quibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum seruatur, & non in alijs.

Vbi deueniat solemnitas Corporis Christi viæ sint mundæ, & ornatæ ad præscriptum ceremonialis, & Missalis Romani: viæ item semel electæ non amplius mutentur. Hastas pallij, si fuerint soliti magistratus locorum deferre, annuendum censemus, confirmando omnia licita, solita, & honesta. Extra dictam solemnitatem non exponatur publicè Sanctissimum absque nostra licentia, etiam in Ecclesijs Regularium, nimirùm pro precibus quadraginta ho-

horarum, vel quacumque alia causa, exceptis ferijs sextis Martij, et Quadragesimæ, et alijs diebus ex antiqua consuetudine, et tunc sex saltem lumina in Altari colluceant.

Non differat Parochus adusque mortis articulum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ministrare infirmis, quando vi morbi oppressi, & sensibus penè destituti ad tanti Sacramenti præsidium mentē applicare non valent, sed opportuno tempore salutarem eiusdem Sacramēti virtutem ipsis explicabit, eosque monebit, vt dum sensibus pollent, illud religiosè sumant, si verò post desumptum Viaticum æger cū eodem periculo feruore deuotionis illud iterum petat pro desiderio, non deerit Parochus.

Circà Eucharistiam ministrandam hæc alia adiungere arbitramur. Et primò qualibet feria V. in Cæna Domini fiat in omnibus Ecclesijs Parochialibus solita cōmunio Cleri à proprio Parocho ad instar Apostolorum cum Christo, et nullus Sacerdos celebrare audeat priuatim; Reliqui sæculares communicent, seorsim mares à fœminis, sacerdotes verò stolam teneant collo hærentem, et totam ante pectus, nō post terga pendentem, quod seruare debebunt, quoties stolam induent, nec liceat communicare cum particulis hostiæ maioris pro Missæ Sacrificio consecratæ, sed cum vna tantum formula, seu particula consuéta. Quos verò semel in anno peccata fateri nouerint Parochi ad sacram communionem, vt nō statim ac-

cedant hortentur, sed postridie, quò religiosiùs illam sument: et nisi recepta prius schedula Confessarij approbati, qui testetur se cõfessionem excepisse illius, qui communicare vult.

Postremò de communione infirmorum aduertant Curati, vt etiam omni, qua decet reuerentia, deferant sub vmbella, præcedentibus facibus, lanternis, et tintinnabulo personante ad formam ritualis, nec deferatur, nisi pro viatico, aut communione infirmi, non autem pro illius religione, seu deuotione, vt adoret, aùt osculetur.

Et in reditu unam saltem in pyxide deferat particulam, nè inane vasculum populus adoret: et si ex communione plurium omnes particulæ sint consumptæ, in reditu absit omnis pompa, extinctis cereis, et deposito sacro amictu. Parochi ministraturi Eucharistiæ Sacramentum campestribus hominibus, seù ruri habitantibus infirmis, peram, seù bursam habeant è collo pendentem, in qua pyxis cum Sanctissimo includatur, et sub parua vmbella, quam sibi gestari faciant à pijs aliquot viris, et maiori, quo poterunt hominum numero, comitati incedant.

Parochis, seù Confessarijs in virtute Sanctæ obedientiæ strictè præcipimus, vt redarguant asserentes cõmunionem quotidianam esse de iure diuino. Doceant præterea in Ecclesijs, seù Oratorijs priuatis ex dispensatione, seù Priuilegio Summi Pontificis de manu Sacerdotis Sumendam Sanctissimã Euchari-

stiam

ſtiàm, nec eam nullo modo deferendam in crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto; præterquàm ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valent, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur publicè, et cum pompa iuxtà formam Ritualis; ſi verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti.

Curent etiam, vt circà communionem in feria ſexta Paraſcæue Miſſalis rubricæ, et Eccleſiæ Romanæ vſus ſeruentur.

Inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeù particulas, neque grãdiores, ſed conſuetas. Si Parochi, & Confeſſarij etiam Regulares, aut quicunque alij Sacerdotes ſecùs egerint, ſciant ſe Deo Optimo Maximo rationem eſſe reddituros, neque defuturam iuſtam, et rigoroſam in cotrafacientes etiam Regulares animaduerſionem ex facultate à Sede Apoſtolica Ordinarijs locorum ad hoc ſpecialiter attributa per Decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini editum 12. Februarij 1679.

CAPVT. X.

De Ordine.

SAlus populorum cum ſit vita Sacerdotum bonis moribus ornata, & ſufficienti ſcientia inſtructa, idcircò ad hoc munus ſeligi debent, qui verè à Deo ſint vocati, tanquam Aaron.

Ad primam ergò tonſuram promouebuntur,qui honeſta vita, & bonis moribus polleant, & de quibus probabilis eſt coniectura non animo fugiendi ſæculare iudicium, & onera laicalia, ſed ex cauſa ſeruiendi Deo; et propterea per menſem ante coràm nobis ſe ſiſtant,ſicut & reliqui minoribus, & maioribus initiandi, vt de eorũ requiſitis, præmiſſo neceſſario ſcrutinio, certiores facti mandare poſſimus, vt per Parochos locorum fiant ſolitæ denũciationes, quas trinas eſſe iubemus pro tribus diebus Dominicis, vel feſtiuis. His peractis ijdem Parochi atteſtationes iuratas faciant circà eorum vitam, Natalia, mores,Sacramentorum frequentationem, et alia ad præſcriptũ Tridentini, et Decreti Sacræ Congregationis pro Regno Neapolitano editi: poſtmodum capta cognitione per Curiam præuio examine duorum, vel Clericorum, vel Sacerdotum, vel Religioſorum cõciuium circà iam dicta, & conſtito de illorum vita poſſit tandem experimentum fieri de idoneitate, & ſufficienti eorum doctrina. Promouendi ad primam tonſuram,ſi ſint maiores annis quatuordecim,fidem Tribunalis ſœculairs reportabunt, vndè conſtet eos nõ eſſe alicuius criminis reos. Hæc verò fides nõ erit neceſſaria initiandis minoribus ordinibus;ſola enim fides Parochi, & Confeſſarij, & ludiMagiſtri cum denunciationbus ſufficiet, ſed ſi per aliquod tempus extrà propriam Diœceſim commorati fuerint, bonum teſtimonium circà vitã, & mores ab illius loci Epi-

Episcopo, vbi commorati sunt, deferre debebunt; acta autem suæ initiationis, quæ pro singulis ordinibus alicui conferendis fiunt, simul assuantur, & in vnum reddantur. ☞ Ad maiores promouendi, vltra præmissa, teneantur nos docere de quantitate patrimonij, quam iuxtà tassam D. Archiepiscopi Maurelli in Diœcesi viginti quinque, & in Ciuitate aureorum triginta annui redditus, oneribus deductis, esse volumus. Patrimonij autem titulus consistere debet in bonis immobilibus, vt nullatenus possit alienari absque legitima causa, & nostra licentia gratis largienda. Si tamen constituatur in censibus, inhibemus promouendis, vt pecuniam, quam ex eorum redemptione acceperint, possint accipere, sed penès montem pietatis, vel tutum Mercatorem in hac Ciuitate deponant ad finem occupandi in tutam emptionem; si quis autem simulato, vel fiduciario patrimonio, siuè in parte, siuè in toto promoueri obtinuerit, sciat se statim ipso iure suspensum grauioribus etiam à nobis puniendum pœnis. Consanguinei, vel alij, qui ad eundem finem bona aliqua pro patrimonio his ordinandis fictè cesserint, vel donauerint, excommunicatione quoque percellentur.

Patrimonium proindè, ad cuius titulum quis promoueri intendit ad maiores ordines, in folio distinctè describatur: et ordinandus non solùm iuret illud verè, & reale esse, seque seclusa qualibet fraude possidere

dere, quod legitimis etiam scripturis probare tenebitur, ac testibus fide dignis; sed etiam ter inter missarum solemnia tribus diebus Dominicis, vel festis de præcepto, frequenti populo in Ecclesia prædictum folium patrimonij bona continens denuncietur, & publicetur, ac valuis Parochialis Ecclesiæ affixum per octo continuos dies detineatur, vt omnibus innotescat, & de huiusmodi publicatione, & affixione Parochi fides in processu producatur.

Parentes verò caueant à fraudolentis donati onibus, quas omnes fraudolentas reputamus absque nostra scientia factas; et proindè magistratus municipales locorum, si in hoc se fraudatos intelligent, compareant coràm nobis, quia de iustitia prouidebitur ad præscriptum litterarum Sacræ Congregationis contrà Clericos possessores.

Initiati maioribus ordinibus in alia Diœcesi sinè litteris dimissorialibus nostris, ipso facto suspensionem incurrunt, aliasque pœnas cõtentas in constitutione Pij II. quam pœnam incurrit etiam filius Baronis, si non habens domicilium in feudo Patris ad ordines promoueatur ab Ordinario feudi absque litteris dimissorialibus Ordinarij originis, cuius arbitrio remanet suspensus ab exercitio suscepti Ordinis, si in eo non ministrauit; si verò in aliquo maiorum ordinum ministrauerint, irregularitatẽ incurrit à Summo tantùm Pontifice tollendam.

Qui verò ab alieno Episcopo ratione originis, vel domi-

micilij,vel beneficij ritè, & rectè promoti fuerint ad quoscumque ordines, vel etiam ad primam tonsuram coràm nobis comparere debeant, ac Bullas exhibere intra mensem à die promotionis, & interim ab exercitio ordinis suscepti se abstinere: et qui ab alio Episcopo cum nostris litteris dimissorialibus promoti fuerint, intra duos menses Bullas suscepti ordinis in nostra Curia præsentare, & registrari facere teneantur. Si quis, aut ipsemet, aut suus filius, frater, consanguineus, affinis, aut amicus, vel quiuis alius, prima tonsura, vel minoribus, aut maioribus ordinibus insigniantur, qualemcunque pecuniæ quantitatem, aut quamcumque aliam rem pretio æstimabilem tacitè, vel expresè, aut quomodolibèt promiserit, soluerit, aut tradiderit mediatè, vel immediatè, tàm is, qui tradidit, quàm qui acceperit, sequuto effectu, excommunicationem latę sententiæ, cuius absolutio Sedi Apostolicæ est reseruata, incurrunt; & ordinati à susceptorum ordinum exequutione sunt suspensi, graui etiam pœna, prout de iure puniendi, si crimen detegatur.

Litteræ dimissoriæ pro collatione, siuè primæ tonsuræ, siuè minorum, aut maiorum ordinum Diœcesanis nostris in alma Vrbe degentibus non concedantur, nisi dirctè ad Illustrissimum Dominum Vicegerentem.

Litteras item dimissorias ad primam tonsuram, siuè ad minores, siuè ad maiores ordines Vicarius noster

Ge-

Generalis, etiam nobis abſentibus, nemini det abſque ſpeciali facultate ſcripto habita à nobis.

Mandamus prætereà Vicarijs foraneis, & Parochis, vt quemcunque nouerint ab alieno Epiſcopo fuiſſe promotum, eum minimè celebrare faciant, nec in Chorum admittant, neque in tabellam Sacriſtiæ adſcribi faciant: ſed nos ſtatim facere certiores teneantur de nomine, & cognomine huiuſmodi ordinatorum, ac de ordine ſuſcepto.

C A P V T. XI.

De Matrimonio.

QVoniam complures in noſtra Diœceſi cum ſanguine coniunctis in gradu prohibito, alij inuiti, alij etiam coniugio alligati, aut apoſtatæ, vel à religioſo ordine dimiſſi, ſponſalia, ac matrimonia cõtraxerunt per Parochorum, vel malitiam, vel inſcitiam, vel negligentiam, qui abſque debito præcedente examine, & Archiepiſcopalis Curiæ licentia nullis adhibitis diligentijs ad præſcriptum Concilij matrimonia celebrarunt, quæ poſteà diſſolui neceſſe fuit, cum eorum notitiam habuimus, ac præuijs ſacræ pœnitentiæ diplomatibus iterum celebrari, clàm, & coràm Confeſſarijs tantùm; & non ſemel accidit, vt matrimonium perperam contractum ſarciri nequiuerit, quia impedimentum nondum erat ſublatum.

Ideò malis, & absurdis huiusmodi obuiare cupientes statuimus. In primis, vt sponsalia per verba de futuro contracta mutuo partium consensu posthàc non dissoluantur, cum alijs liberè contrahendo, nisi priùs decreto Iudicis prima sponsalia soluta fuerint.

Parochi siuè Ciuitatis, siuè Diœcesis sponsos in facie Ecclesiæ matrimonio minimè coniungant absque trinis denunciationibus præmissis ad præscriptum Tridentini Concilij, & Ritualis Romani, ac præuia licentia nostræ Curiæ gratis concedenda. Decreta verò, & reliqua mandata procuratoria ad matrimonium contrahendum, tàm pro præterito, quàm pro futuro, redigant in peculiarem librum iuxtà Rituale Romanum.

Si verò sponsi, vel alteruter eorum non sint nostræ Diœcesis, tunc attestationem Episcopi illius loci de eorum statu libero in Curia exhibere debebunt. Quod etiam, si Diœcesani sint, seruare teneantur, si in aliena Diœcesi commoratus fuerit vterque, vel alteruter eorum, vbi à die vltimæ denunciationis elapsum fuerit bimestre, reiterandæ sunt denuciationes cum exploratione consensus sponsæ facienda in locis, vbi tàm vir, quàm mulier quatuor saltem menses habitauerint, cum matrimonium contrahere volunt, alioquin fient in locis, vnde discesserint, et vnica prætereà in loco, vbi Coniuges degunt. Vt verò rectè procedant omnia, Parochi moneant suos subditos de obligatione, quam habent, scientes im-

pedimenta mataimonij, illa reuelandi, ac de grauitate peccati, quod committunt falsa deferentes ad impedienda matrimonia, ac præsertim, si matrimonij vsum maleficijs, vel alio quouis modo impediunt.

Denuciationes vagorum, et AEgyptiorum; qui vulgò appellantur *Zingari*, etiam fieri prohibemus, nisi præcedente licentia Curiæ, quia eorum conditio nō est facilè omnibus nota.

Matrimonium autem in Ecclesia Parochiali, vbi sponsus, vel sponsa inhabitat, et coràm proprio Parocho, vel, eo legitimè impedito, ab alio Sacerdote approbato de ipsius Parochi consensu celebretur, quod quidem ab ipso Parocho seruetur antè Altare, vbi etiam fiat benedicto iuxtà formam Missalis, ac de die, et orto iam Sole, neque in alio loco, vel alia Ecclesia, quod si de his, vel eorum singulis petatur dispensatio, concedetur à nobis cum causæ congnitione, gratis tamen, et in scriptis. Nuptiarum autem solemnitates temporibus ab Ecclesia vetitis fieri prohibemus.

Parochus statim post matrimonium antè Principem Aram iuxtà Missalis formam sponsis benedicat, seù benedictionem impartiatur, quam vt illi accipiant, seriò hortetur, ac moneat, nec differat vltrà mensem de hac re eos monere, nè muneri suo desit, & subditorum pietati, nec sub vmbella ijs, qui matrimonium contraxerunt, benedicat.

Hanc

Hanc autem benedictionem si alteruter ex contrahentibus in primis nuptijs acceperit; non est amplius reiteranda.

Matrimonium domi si ob aliquam legitimam causam de nostra licentia celebretur; Parochus sponsos monebit, vt mane sequenti missæ pro sponsis in Parochiali Ecclesia assistent, & communicent, nuptialem benedictionem recepturi, quò spiritualem matrimonij fructum vberiorem consequantur.

Ad tollendas controuersias, quæ inter Parachos orir solent, strictè præcipimus, vt Parochi, siuè Diœcesisi siuè Ciuitatis alienorum subditorum matrimonia, (inuito proprio Parocho) minimè celebrent; neque illis intersint absque licentia à nobis, vel à nostro generali Vicario scriptis obtenta, quæ iustà interueniente causa gratis largietur.

Pœnam excommunicationis latæ sententiæ, & decem librarum ceræ à prædecessoribus nostris, et à Dom. Arcipiscopo Venus. Visitatore Apostolico imposita pro accessu, ingressu, aut cohabitatione sponsorũ ante matrimonium coràm Parocho, & testibus celebratum confirmamus, atque in suo robore permanere volumus. Declarantes tamen, quòd non intendimus prohibere accessum illum, qui à sponso publicè fit cum sanguine coniunctis ad salutandam sponsam, & ad tangendam tantùm illius manum, vt vulgò dicitur.

Quoniam autem experimento compertum est plerun-

que viros, & mulieres exteros incolatus gratia simul morari in nostra Diœcesi, simulando se coniuges, licèt re vera non sint: ideò sedulò quisquis inuigilet Parochus, vt ab eis, & eorum singulis exigat necessarias matrimoniorum attestationes, quas si habere non potuerit, statim Nos certiores faciet.

Sponsi, qui clandestinè, aut absque præcedentibus denunciationibus, ac legitimis de ipsorum libero statu probationibus, aut absque nostræ Curiæ licentia, matrimonium de facto contraxerint, quàmuis coràm Parocho, & testibus excommunicationem latæ sententiæ, & nobis reseruatam incurrere decernimus, ad coercendam huiusmodi hominum proteruiam, & vt, quæ accidere solent ob hanc causam scandala, quantùm fieri potest, impediantur in posterum. Parochi verò, qui huiusmodi conuersationis, accessus, vel ingressus conscij matrimonio intersunt, aut nobis statìm non denunciant, suspensionis pœnam ipso facto incurrant.

CAPVT. XII.

De Extrema Vnctione.

SI totius humanæ vitæ curriculum multis ad perennis salutis adeptionem indiget Sacramentis, multò magis eget humanæ vitæ terminus, tunc enim diligentiùs aduersarius noster Diabolus, tãquam Leo ru-

rugiens circuit quærens,quem deuoret, ex quo fit,vt pro extremo illo momento, quo gignitur æternitas, extremæ vnctionis Sacramentum à Christo Domino fuerit institutum, & à nobis perdiligenter exercendum proponitur.

Omnia igitur, quæ in Rituali Romano continentur, vti necessaria ad huius Sacramenti administrationem, perficiant Parochi, nec sinant aliquem ex hac vita migrare sinè hoc Sacramento, nuncupato infirmorum, neque omittant assistere infirmis agonizantibus, licèt Sacramenta contulerint. Momentum enim illud est, vndè pendet æternitas.

Sacrum infirmorum oleum Regularibus vtriusque sexus ad proprium vsum in suis cõuentibus, seù Monasterijs seruandum detur, sed si parui sunt Conuentus, in quibus sex Regulares non commorantur ad præscriptum Bullæ Innocentij X. dabitur eis toties, quoties vnicuique eorum necessè erit.

CAPVT. XIII.

De Sacrosanctis Ecclesijs.

OMnia iura diuina, & humana zelantur zelum domus Dei, quam decet sanctitudo, & locùs sanctus est, in quo orat Sacerdos pro delictis, & peccatis populi. Idcircò volentes Ecclesias nostræ Diœcesis diuinitùs nobis commissas vindicare ab iniu-

iniurijs, ſtatuimus primò neminem poſſe nouas Eccleſias, Oratoria, Cappellas, Sacriſtias, vel Monaſteria ædificare, vel in ædificatis noua conſtruere Altaria, vel aliàs conſtructa deſtruere, vel dirutas, ſeù ruinoſas reædificare, vel cuicumque Eccleſiæ, aut loco ſacro qualemcumque fabricam adhærentem facere ſinè licentia noſtra. Vbi verò reperiantur Eccleſiæ vetuſtate labentes, aut ruinam minantes, etiam ſi in minimo, reſtaurari mandamus expenſis eorum, ad quos de iure, vel de conſuetudine ſpectat, alioqui in huius defectu transferentur ad Matricem, erecta in priori loco Cruce, & translatis exindè oneribus, & redditibus.

Quoniam in aliquibus huius Ciuitatis, & Diœceſis Eccleſijs, ſeù Cappellis multis abhinc annis miſſa non celebratur, propterea, quòd ob dotis, ornatus, rerumque omnium deficientiam, & ob alias cauſas prorſus derelictæ, ac profligatiſſimorum hominum factæ ſunt receptacula, qui cum impudicis mulieribus eas ſacrilegè fœdare, ac conſpurcare non verentur, nullumque in ipſis flagitij genus patrare perhorreſcunt, quàmuis in generalibus viſitationibus à nobis, & à prædeceſſoribus noſtris pluries mandatum ſit Eccleſias, ſeù Cappellas antedictas à Patronis, alijſque, ad quos ſpectat refici, dotari, ornari, deque omnibus reſpectiuè prouideri, quæ ad Miſſæ Sacrificium in ijs peragendum neceſſariò requiruntur. Volentes proindè Domos Dei, in quibus ſte-

te-

terunt pedes eius, ab omni turpitudine, & fœditate, quantùm in nobis eſt, vindicare, omnemque in eis peccandi occaſionem amouere, Eccleſias, ſeù Cappellas omnes, & ſingulas huius Ciuitatis, & Diœceſis, in quibus decem abhinc annis Miſſa non celebratur (cuius rei declarationem nobis reſeruamus) vti laicas, & prophanas domos haberi decernimus. Eaſdem autem Eccleſias, ſeù Cappellas, quemadmodum prohibere non intendimus, & impedire, quin Patroni, alijque Religioſi viri reficiant, dotent, ornent, & de omnibus prouideant diuino cultui neceſſarijs: ſic ipſas, quoad omnia hæc reſpectiuè perficientur, deque eorum implemento nobis planè conſtiterit, ſemper clauſas teneri præcipimus, nè ad humanos vſus accommodentur; reaperiendas tamen de noſtra licentia, cum in eis in priſtinum ſtatum redactis diuinus cultus inſtauratus fuerit, & ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium omni; qua decet reuerentia fieri poterit.

In Oratorijs priuatis nullus Sacerdos celebrare audeat, niſi à S. Sede Apoſtolica fuerit indultum: & tunc omnia ad vnguem ſeruari mandamus, quæ in Apoſtolico diplomate, ſeù breui continentur: & quia in hoc grauiter peccatum eſt, à celebrantibus tàm ſæcularibus, quàm regularibus in gratiam illorum, qui Oratoria habent in domibus ſuis: ideò monemus omnes, & ſingulos tàm celebrantes, quàm celebrare facientes, aut permittentes, vt ſe abſtineant contra

tra

tra hoc Decretem venire, illudqne non obseruare; quia contra eos, & vnumquemque eorum procedetur à nobis, prout de iure debetur.

Cappellæ, Altaria, & sepulturæ in quibuscumque Ecclesijs, tùm Ciuitatis, tùm Diœcesis, nemini concedantur absque nostra in scriptis licentia gratis largienda.

Ecclesiæ seruentur mundæ, & semel saltem in hebdommada verrantur, & ab immunditijs, & puluere, atque aranearum telis purgentur: tecta non sint pluuia, & pauimenta seruentur concinna, & æqualia, nullaque de causa deformentur, aut defodiantur, nè pro cadaueribus quidem inferendis, absque expressa licentia in scriptis; nullo modo intrà Ecclesias, aut Cappellas, etiam Regularium, fiant conuiuia, compotationes, commessationes, aliaue huiusmodi, aut comediæ, tragediæ, vel quicumqne actus ludicri, aut in eis recondantur, & seruentur vllum tritici genus, ligna, prophana suppellex, vel denique quicquid aliud à Domo Dei alienum, & præsertim sericum in fraudem vectigalis, ni aliud suaserit necessitas, & tunc omni cum modestia, & nobis statim certioratis: ac sedulò inuigilent Vicarij foranei, nè quid indecorum interim admittatur.

Similiter iuxtà Ecclesiæ parietes non permittant Parochi turpe quod fieri, aut sordidum deponi, sed vndequaque ab vrina, & immũditijs preseruari, vepres, & arbusta extirpari, & lapidũ congeries tolli curent.

Nul-

Nullæ excitetur rixæ, aut cōtentiones intrà Ecclesiam, nulla item fiant colloquia, quæ sacra perturbant officia, non comitia, seù parlamenta, non contractus ciuiles, nec vlla iudicia exerceantur: nec alia, quæ in constitutione B. Pij V. quæ incipit *Cum primùm.* edita Kal. Aprilis 1566. expreßè prohibentur, ac pro expressis hìc haberi volumus sub pœnis in eadem constitutione contentis.

Occisorum corpora intus Ecclesiam à iudicibus nullo modo recognosci permittantur, aut indè extrahi, & multò magis sit vetitum ea exhumari facere absque nostra licentia in scriptis.

Musici in quibuscumque Ecclesijs, etiam Regulariū, & Cappellis nulla prophana canant, nec cantilenas italico sermone.

Parochi in nocte Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi non permittant intra Ecclesiam displodi arma ignem euomentia, sed potiùs desinant Ecclesias de nocte aperire, laici verò dicta arma explodentes intrà Ecclesiam, vel ipsius ianuam, excommunicatione percellentur, nè quæ plerumquè accidere solent absurda, sequantur.

Insuper in cuiusque Ecclesiæ frontespitio supra Ostium maius pingatur effigies Sancti, cui dicata est Ecclesia.

Fenestræ Ecclesiarum ad aues arcendas, et puluerem impediendum claudantur vitreis, vel saltem lineis repagulis.

Portæ Ecclesiarum, vel Cappellarum sint in via publi-

 ca

ca omnibus obuiæ, & ab omni impedimento liberæ, et sinè domibus adiacẽtibus Ecclesiæ, aut Cappellæ, in eã pateat ingressus, omninò obstruatur, et quælibet porta contigua Altari fabricetur. Fenestræ item, quæ à prædictis domibus Ecclesiæ, aut Cappellæ adiacentibus prospectum habent in Ecclesias, vel Cappellas, nunquam fiant, et si quæ factæ reperiuntur, claudantur Altaria sub organo, vel suggestu, vel contra maius Altare, in quo Sacerdos cum celebrat, terga vertit maiori Altari, nõ construantur, et aliàs constructa interdicimus, quemadmodum, et quæ columnis adhærent. Sic etiam Altaria sinè dote, sinè ornamentis, alijsque ad celebrandum necessarijs, si Patroni intrà sex menses ea non dotauerint, omniaque ad Missæ celebrationem respectiuè necessaria non suppeditauerint, omni iure, omnique actione sibi in eis spectante priuabuntur; transactis exindè oneribus, vel in proximum Altare, vel maius.

Imagines penè consumptæ, ac obsoletæ, & statuæ vetustate corrosæ remoueantur ab Ecclesijs, & Altaribus, & ponantur sub pauimento, vel crementur, & cineres in sacrarium demittantur; sic etiam vestes, & suppellex consumpta, libri sacri, & Breuiaria, missalia, & similia, quæ potiùs expedit in peculiari recenti loco asseruari.

Cruces, & imagines Sanctorum pro vsu Ecclesiæ non antea exponãtur, nisi post benedictionem iuxtà morem Ecclesiæ, et præuia nostra licentia.

In

In huiusmodi imaginibus non possint depingi imagines hominum mortuorum, vel viuorum.

In ædibus Ecclesiæ pro habitatione Parochorum constitutis mulieres, præter Matrem, et sorores, nõ habitent; si verò consanguineam aliquam in secundo gradu apud se habere necessitas coget Parochum; tunc;nobis consultis, licebit, citra tamen scandalũ.

Fenestellæ, in quibus sacra olea seruantur, sint benè clausæ ferrea sera, aut vecte benè munitæ, nè sacra olea indè surripi possint, quod multoties factum accepimus ad malũ finem, vt ijsdem scelesti homines abutantur ad sortilegia, et alia scelera perpetranda. Claues proinde Parochi apud se in tuto loco seruent.

Delinquentes nullatenus morentur in Ecclesijs Parochialibus,nec in earum campanilibus, nec in Parochialibus domibus; & si eos quandoquidèm necessitas impulerit, Parochi certiorem faciant Curiam pro opportuno remedio.

Ecclesiæ omnes aperiantur manè orto iam Sole, præterquàm diebus festis, illucescente Aurora, post diuina officia claudantur, reaperiendæ à Vesperis vsque ad Completorium, nunquam tamen,cum apertæ sunt,solæ relinquantur, sed aliquis intra eas maneat, qui eas custodiat.

Claues Ecclesiarum nemini credat Parochus, nisi Ecclesiasticæ alicui personæ ad hoc deputatæ. Ecclesiarum autem, quæ non sunt Parochiales, Vicarij fora-

ranei custodiri faciant ab Ecclesiastica itidem persona, ac probatæ vitæ, nunquam verò à laicis; quod de custodia clauium Ecclesiarum percipimus; hoc etiam de clauibus campanilium seruari mandamus. Curent propterea Vicarij foranei, & Parochi, vt Ecclesiæ, & Cappellæ post peracta diuina officia, sicuti etiam campanilia sint semper clausa, claues verò apud se in propria domo seruet Parochus, vel Vicarius foraneus, ità vt eas nemo capere possit, ac nemini in ea pateat ingressus, nisi Ecclesiarum Ministris pro eo tẽpore, quo campanas pulsare debent.

In die cœnæ Domini claudantur ostia Ecclesiarum, etiam Regularium, & præsertim Monialium hora vigesima quarta, & non teneantur aperta vltrà dictam horam, quàmuis pro visitando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in sepulchris reposito.

CAPVT. XIV.

De Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

ETsi Sanctorum Reliquiæ sint specie quidèm contemnendæ, re tamen, & veritate thesaurus sunt pretium omne excedens, licèt in Ecclesiæ agro absconditus, ac proindè omnem sibi venerationem postulant, & custodiam; pauca verò hæc præsertim exposcunt, quæ hoc loco seruanda decreuimus.

San-

Sanctorum Reliquiæ decenter suis in locis, vel statuis quamprimùm accommodentur, & non possint ab omnibus tangi, sed cum omni diligentia, & reuerentia seruentur. Quando verò exponi debent in Altari, vt omni cum decentia fiat, Sacerdes cum superpelliceo, & stola deferat in comitatu aliorum de Clero, & cum luminaribus accensis.

Ad ægrotos reliquias deferri non permittimus, nec apud laicos, & in priuatis ædibus asseruari, & retineri decet. Parochi ergò curent Reliquias, quæ sunt in Cappellis, & Sacellis deferri ad Ecclesias Parochiales.

Reliquiæ in publicum non exponantur, nisi à nobis, vel nostra curia diligentèr, & iuridicè priùs recognitæ; num de illis autenticè constet.

CAPVT. XV.

De Celebratione Missarum.

EO' antiquis venerabilius est diuinnm hoc Sacrificium, quò præstantius; per hoc enim Dominicum corpus semel AEterno Patri in Cruce oblatum penè infinities intrà singulos dies, & vbique immolatur, quarè videndum, quid ad laudabilem eius vsum seruare oporteat. Statuimus, vt in sacro faciendo studeant concordare Missam cum Officio, & Rubricas Missalis obseruare, & Parochi procurent

rent habere in Sacristia chartas Bartholomæi Gauãti tabellis infixas, & in pariete pendentes. Habeant etiam ordinem officij, qui quotannis iussu nostro imprimitur, appensum in sacrario.

Nuper Sacerdotio initiati nõ ingerant se celebrationi Missarum, nisi anteà fuerint à nobis præuio examine super rubricis consequuti licentiam, nõ desinant singuli sacerdotes omnibus Dominicis, et solemnibus saltem festis sacrum facere iuxtà Tridentini Concilij decretum. Arceant Parochi, Sacristæ, & ij, ad quos spectat, Sacerdotes exteros, & peregrinos, tàm sæculares, quàm Regulares à missæ celebratione, vbi nõ habuerint litteras dimissoriales proprij ordinarij, et à nobis recognitas. Hoc idem onus incumbit Regularibus in suis Ecclesijs. Apostatas item à suis religiosis ordinibus, siuè eiectos, & incorregibiles, siuè ob quancunque aliam causam dimissos, tàm nostræ, quàm alienæ Diœcesis, missas celebrare, aut in sacro Altari ministrare minimè permittant, nobis inconsultis, & absque expressa nostra in scriptis licentia, atque decretum hoc ipsos etiam Sacerdotes afficere volumus.

Populis inculcabunt Parochi, vt fideles missæ deuotè intersint intrà Ecclesiæ ambitum, nõ extrà, vel præ foribus, nec ità propè Altare accedant, vt pateant obtutui celebrantis, qui proindè mentis euagationem pati possit. Nõ ingrediãtur homines intra cancellos, seù balaustra, præsertim maioris Aræ, & quod

quod dicitur de hominibus,magis intelligi debet de mulieribus aperto capite, et in genua prouoluti cõsistant, stabunt tamen,cum legitur Euangelium. Non discurrãt pauperes eo tempore pro eleemosynis colligendis. Hortamur item fideles; vt diebus Dominicis, & festis accedant ad Parochiam propriam ad Missam audiendam, vt indè monita salutis sibi possint aucupari, & festorum dierum, & vigiliarum in vulgus editionem audire; quod si neglexerint, periculum subeunt peccandi.

In Ecclesijs Parochialibus habeatur Missa matutinalis in diebus Dominicis, & festis de præcepto, lucescente aurora, pro qua vnus Sacerdos celebret, & non plures. Cœteri post missam conuentualem completã, siuè sacrum peragant in ijsdem Ecclesijs, siuè in alijs Cappellis, Congregationibus, et Oratorijs sœcularibus, & proindè Parochi horam competentem seligent ad Missam Conuentualem.

Pluries à Sac. Rit. Congregratione decretum est feria V. in Cœna Domini nõ licere plures Missas celebrare, sed vnam tantùm; sed quia latiùs, quàm par est, id aliqui interpretantes, in qualibet Ecclesia celebrari posse contendunt. Nos decreto præfato inhęrentes mandamus in illis tantùm Ecclesijs celebrari posse, in quibus sacra Domini sepulchra fieri consueuerunt pro significatione mysterij.

Et quia accidit aliquando in prædictain diem Cœnæ Domini incidere festum Beatissimæ Virginis ab Ange-

ge-

gelo salutatæ, vel Diui Francisci de Paula præcipui huius Ciuitatis Patroni, & Diœcesis, vtrumque ex præcepto Ecclesiæ seruandum, permittimus, vt omnes Sacerdotes alterutro ex dictis festis incurrente in diem Cœnæ Domini sacrificare possint. Monentes prætereà omnes ea die Missæ sacrificio teneri interesse. Missa autem celebrabitur de eadem die Cœnæ Domini, & nihil de occurrente festo, quod transfertur ad primam diem non impeditam.

Circà reliqua de celebratione Missarum Decreta, & declarationes Sacræ Congregrationis Concilij iussu Sanctæ memoriæ Vrbani VIII. editas à Parochis, & alijs Sacerdotibus ad vnguē obseruari mādamus.

In Missis, quæ solemniter celebrantur, seù canuntur, nō fungantur officio Subdiaconi, aut Diaconi, quāuis sinè manipulo, nisi qui in ijs ordinibus respectiuè sint constituti, potest tamen Diaconus Subdiaconi munus exercere, sed non è contrà, & multò minùs Clerici.

Per Octauam Festiuitatis Corporis Christi Missa solemnis celebretur quotidiè in qualibet Parochiali Ecclesia, vbi commodè fieri potest.

In diebus, in quibus fit officium de Sancto duplici, non celebrentur Missæ votiuæ, nequè defunctorum, sed si, in quem diem incidit festum Sancti duplicis, occurrat etiam in eo fieri exequias alicui defuncto, vna tantùm Missa emortualis celebretur coràm cadauere: præter quàm in Dominicis, & Festis de præcep-

cepto, in quibus exequias manè fieri prohibemus. Animas fidelium defunctorum in Purgatorio igne detentas, quantùm, Deo dante, possumus, iuuare cupientes, aliosque ad id etiam faciendum extimulare: Sacerdotibus omnibus huius Ciuitatis, & Diœcesis in memoriam deducimus SS. D. N. Innocentium XI. litteris in forma Breuis die 15. Martij expeditis indulsisse, & concessisse, vt omnes, & singulæ Missæ, quæ die Commemorationis Defunctorum per quoscumque Sacerdotes, tàm sæculares, quàm regulares ad quæcumque Altaria celebrantur, animabus fidelium Defunctorum, pro quibus celebratæ sunt, perindè suffragentur, ac si ad Altaria Priuilegio Apostolico pro Animabus Defunctorum decorata celebratæ fuissent. Ac propterea, vt omnes, & singuli vtriusque sexus Christi fideles verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, qui Parochialem suam respectiuè Ecclesiam eadem die commemorationis Defunctorum à primis Vesperis vsque ad occasum solis eiusdem diei inclusiuè annis singulis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, omniumque peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem consequantur, quam Animabus etiam fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate coniunctæ ab hac luce migrarunt per modum suffragij appli-

care possint nô desinant itaque Parochi singuli pro se quisque in sua Parochiali Ecclesia(quod ipsius in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipimus) in Dominica eandē commemorationis Defūctorum diem, præcedente antedictam Indulgentiam Populis denunciare,eosque hortari, vt eā consequi satagant.

Itemque mandamus, vt in Sacristiæ pariete tabella, in qua seorsim, ac distinctè sunt annotata singula onera missarum, nunquam amo ueatur; vt in promptu tempore visitationis cognosci possit de illorum implemento.

In eadem tabella annotentur Missæ,quæ ex præscripto testatorum possunt vbique celebrari, quas quidem Missas volumus omninò in Parochiali Ecclesia ipsius testatoris celebrari,aut in alia certa Ecclesia à nobis præscribenda; prout etiam certam diem, vbi statuta non fuerit, præscribi mandamus ijs, qui Missas celebrare tenentur, vt omninò cōstet de earum celebratione, & vltra dictam tabellam fiat liber, in quo dietim missæ,quæ celebrantur,possint annotari cum debitis circumstantijs, quis celebrauerit, vbi; & pro quo benefactore: dicta verò subscriptio fiat eadem die propria manu celebrantis, & si propter obliuionem è memoria exciderit, non vltrà sequentē diem fieri possit.

Onera Missarum, & Anniuersariorum, quæ exolui debent in Ecclesijs, vel Cappellis certis,in quibus non detinetur liber, in quo missarum celebratio dietim an-

annotetur (post quàm impleta fuerunt) describantur in ijsdem libris Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ, vel Parrochialis proximioris, & sic etiam in loco Diœcesis à Sacerdotibus, qui respectiuè illas celebrare tenentur.

Sacerdotes præterea cuiucũsque cõditionis, gradus, vel dignitatis, qui in libris, vbi notantur Anniuersaria, & missæ quotidie celebratæ, si falsò se subscripserint, & missas non celebratas pro celebratis notauerint, siuè pro suis, siuè pro alienis oneribus exoluendis, aut alia die, qua ipsas celebrauerint, tanquam falsi criminis pœna, pro vt de iure plectentur.

Ad tollendas altercationes, & scandala, quæ oriri solent inter Parochos nostræ Diæcesis, & Sacerdotes in Cappellis contiguis, vel Oratorijs Confraternitatum quoad tempus celebrationis missarum; præcipimus, vt duabus horis post ortum Solis Parochi celebrare debeant, vt populus ad auscultationem missæ accedere valeat, nullusque Sacerdos antè celebrare possit, nisi ille, qui deputatus à Parocho missam matutinalem, illucescente aurora, celebrare teneatur.

Taxa verò pro stipendijs missarum ea erit in posterùm, vt pro manualibus non possit esse minor, quàm carolenus ex parte dantis, qui si feruore deuotionis velit augere, nouerit se maiorem indè fructum consequuturum. Pro Missis dotãdis perpetuis in fundatione iuxtà morem Diœcesis aliàs per nostros Prædecessores approbatum, & confirmatum, assignetur sti-

pendium granorum quindecim pro qualibet missa, quem morem, & consuetudinem iterum approbamus. Sed non extendimus ad ea onera, quæ deinceps per testatores, & benefactores quoscunque fuerint legata, pro quibus si minor fuerit ab eis eleemosyna præscripta, non tamen infrà carolenum vnum permittimus ea acceptari, nostra præcedente licentia, gratis, &c. Sic enim nobis suadet temporum conditio; cùm multi, nedum Sacerdotes, sed etiam Parochi careant stipendio Missæ, & sint adeò pauperes, vt satiùs sit Missam pro caroleno celebrare, quam à celebrando desistere; aut nihil indè emolumenti percipere ad eorum inopiam subleuandam.

Caueat Sacerdos, siuè Parochus, siuè etiam Canonicus missarum celebrationi obnoxius ratione beneficij, vel quavis alia causa; stipendium, seù eleemosynam pro Missæ Sacrificio in diem ab alijs accipere, nisi proprio priùs satisfecerit oneri, quo si grauatum se sentiat, quia fortè redditus oneri impar; Sacram Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpetrum Congregrationem adeat pro Missarum deductione.

In inuestiendis, vel reinuestiendis, de nostra tamen licentia gratis concedenda, &c. pecuniarum summis, celebrationi missarum assignatis semper fiat mentio expressa oneris missarum, & numeri earum.

CA-

CAPVT. XVI.

De exequijs Defunctorum, & sepulturis.

PRo reformandis corruptelis circà mortuorum sepulturas, hæc statuere peculiariter oportuit: mortuorum corpora non nisi elapsis saltèm duodecim horis post eorú transitum ex hac vita, sepulturæ tradantur, quòd si mors fuerit repentina, viginti quatuor horas inhumata iaceant, Nec vllo modo antè solis ortum, vel post occasum sepeliantur sinè licentia gratis largienda. Morte obeuntes repentina, non tamen violenta, sepeliantur absque Curiæ Archiepiscopalis licentia, dummodo non sint excommunicati, aut publici peccatores, & viginti quatuor horarum spatium transactum fuerit.

In funeribus, & exequijs, quæ fiunt in locis Diœcesis, Campanæ non pulsentur, nisi de die, vel prima noctis hora, earúque sonus vnicam nõ excedat horam; multum enim in hac re excedere sacristas, quæruntur ciues locorum.

In Dominicis, & alijs diebus festis manè exequiæ, aut missæ defunctorum non celebrentur in Metropolitana Ecclesia, & Parochialibus; alijs verò diebus, postquàm celebrata sunt diuina officia, nè Clerus, & populus à diuinis distrahantur; poterunt tamen statim à prandio sepeliri, vel post vesperas.

Infantes efferantur, præcedente Parocho, aut eius substi-

stituto, superpelliceo, & stola induto, & Clerico superpelliceo etiam induto, qui Crucem in manu gestet absq; hasta.

In aliorum verò exequijs Clerici omnes bini incedant, & modestè, & ad domum defuncti cum superpelliceis,& biretis, alioquin non mereantur stipendium, sic etiam si antequàm peruenerit cadauer in Ecclesias Regularium, vel antè completum officium in alijs Ecclesijs,discesserint.

Regulares, & Monachi accedãt ad Ecclesiam matricẽ, indè cum Clero funus associaturi si facere recusauerint,Parochi nos statìm certiores faciant.

Preces domi super cadauere ex Rituali Romano recitare, illudq; aqua benedicta aspergere, cum spectet omninò ad Parochos,ipsis præcipimus,vt à Regularibus non permittant tale munus vsurpari.Parochorum etiam erit funeris exequias, quà meliùs sibi videbitur, ducere, quàmuis in Ecclesijs Regularium defuncti sepeliendi sint.

Eleemosynæ candelarum distributio abusiuè dicta pro funeris exequijs non fiat, dum in choro celebrantur diuina officia,sed illis expletis, & extrà chorum.

Candelarum, seù mercedis distributio pro associandis exequijs fiat inter capitulum, & Clerum Cathedralis Ecclesiæ ad modum distributionum chori, seruata forma præscripta in constitutionibus capitularibus editis à D. olim Archiepiscopo de Theodulis, ità vt Canonicus habeat tertiam partem supra portio-

tione simplici Sacerdoti, & Clerico debitam. Dignitates verò tertiam partem supra illam, quæ Canonico competit.

Distributionem prætereà candelarum, seù mercedis, quæ prouenit ex associatione exequiarum, illis interessentes, easq; associantes, solummodò lucrentur, singuli pro summa desuper declarata. Mandamus igitur communerijs Cathedralis Ecclesiæ, seù exequiarum Procuratoribus, vt decretum hoc plenè obseruent, ac prætereà, vt carolenos sex ex singulis exequijs, quæ ducuntur ab Hebdommadarijs Cathedralis Ecclesiæ ad capitulum spectantes, tradant camerario, seù Procuratori capituli, qui eos inter Canonicos distribuet iuxtà seruitium ab eis in choro præstitum, & à punctatoribus notatum, alitèr facientes tàm communerij, quàm camerarius singuli pro se quisque de proprio tenebuntur.

Arceant Parochi, aliarumq; Ecclesiarum cappellani, & sacristæ, alijq; de Clero Ecclesijs fœminas, quas præficas, seù lamentatrices vocant, aut quascumq; alias, quæ capillos sibi vellunt, facies dilaniant, aut lamentationes, siuè eiulationes faciunt in Ecclesijs, vel per vias prosequentes funera; easq; non permittant, siuè eadem, siuè quacumq; alia die eiulatus, planctus, lugubres cantus, & huiusmodi dilaniationes facierum, aut capillorum auulsiones facere in Ecclesia, aut sic dilaniatas, passis, exturbatisq; comis in Ecclesias ingredi: Interdicti enim pœna ab ingressu Ecclesiæ ipso

ſo facto nobis reſeruata, mulieres ipſas percellimus; nõ quia facies ſibi dilaniant, aut capillos vellunt; ſed quia intra Eccleſiã id faciunt, & inconditis clamoribus ſuis, concitatiſq; geſtibus Eccleſias horrore perfundunt, & diuina officia perturbant : à Diabolo ad hoc potiſſimùm incitatæ.

Hortamur deniq; Sacerdotes omnes, vt in morte Sũmi Pontificis, Archiepiſcopi pro tempore, & cuiuſuis Sacerdotis Ciuitatis, vel propriæ Patriæ Sacrum vnum faciant pro anima illorum; & Clerici recitent officium mortuorum; memores ſe hæc eadem ſuffragia deindè accepturos poſt mortem.

Societas, ſeù Confraternitas Mortis, cui munus eſt pauperes mortuos gratis ſepelire in communi ſepulchro Cathedralis Eccleſiæ, in qua fundata eſt ſocietas, & proprium habet Oratoriũ, mortuos ſepulturæ minimè tradat, niſi cõſcio Parocho eiuſdẽ Cathedralis, qui illorũ nomina, & cognomina deſcribere debet in libro defunctorum; pro vt ab initio præſulatus noſtri laudabiliter ſeruantum eſt; ſed quia id antea fieri deſueuit, & multa indè ſequuta ſunt abſurda, præſertim circà matrimonia, ideò nè huiuſmodi, et grauiora in poſterùm ſequantur abſurda, mandamus hodierno Cappellano dictæ ſocietatis, eiuſq; pro tempore ſucceſſoribus, vt quoties pauperem aliquem à ſocietate ſepeliri contigerit, toties ſchedulã, in qua illius nomen, cognomen, et patria deſcripta ſint, nec non dies, menſis, & annus mortis, vt de ea

le-

legitimè constare possit, Parocho tradere teneatur. Parochus verò antedictam schedulam exigere non negligat, & si petitam non obtinuerit, certiores nos statim faciat.

Pauperibus, qui verè sint pauperes, gratis sepultura cõcedatur, quæ tamen non fiat sinè luminibus; aliorum autem non possint Parochi sub prætextu Decimæ non solutæ, vel alterius debiti sepulturam retardare. Verùm iuxtà Decretum primæ Synodi bon. mem. Archiepiscopi Cõstantij hæredes, si in dubium reuocari nequit decimas à defuncto non fuisse solutas, sed adhuc deberi, & pecuniam præmanibus non habeant, tàm pro debito prædicto, quàm pro associatione cadaueris, dent Parochis pignora, vel cautionem de soluendo, quod iustum fuerit, vt absq; lite, & scandalo non fraudentur solita mercede. In libris Parochorum respectiuè omnia describantur nomina defunctorum, siuè in propria, siuè in aliena Ecclesia sepeliantur, siuè etiam extrà loca sacra, & causam etiã, quare fuerit denegata Ecclesiastica sepultura, idq; de mandato Curiæ.

Quoniam sæpè multorum querimonijs, & lamentationibus didicimus pauperes, & egenos decedentes in Ciuitate, & Diœcesi nostra Consentina propter eorũ inopiam pluribus diebus iacere inhumatos: propterreà, cum huiusmodi actus, præter scandalum, quod in populo generant, nedum Christianæ charitati, sed humanitati etiam repugnent; volentes ex nostri mu-

rieris debito de salubri remedio huic malo prouidere; præsentiũ tenore dicimus, atq; mandamus omnibus, & singulis Rectoribus, seù Parochis, Cappellanis, Confratribus quarumcumq; Ecclesiarum Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Cõsentinæ, omnibusq; alijs Parochiam funeralem, seù ius funerandi quouis titulo habentibus, quatenus cum primùm ad ipsorũ notitiam peruenerit mors alicuius pauperis, habita fide paupertatis defuncti subscripta à proprio Parocho, & vicinis eiusdem defuncti, alijsuè religiosis viris, sublato cuiusuis morę impedimento, statim eorum proprijs expensis, vt conuenit, sepeliri faciant, & curent pręfatorum pauperum cadauera in ijs locis, vbi non est Confraternitas, quę id pietatis munus exerceat: mandantes prętereà Vicarijs foraneis circà exequutionem huius nostri Decreti, vt modis omnibus sedulò inuigilent, & inobedientes per omnia iuris remedia compellant, ac si opus fuerit, nos certiores faciant.

Si quem excommunicatum denunciatum mori contigerit absque absolutione, quàmuis dederit pœnitentiæ signum, eum non sepeliet Parochus priusquàm cadauer ab excommunicatione absoluatur, præuia ad hoc facultate à Nobis tribuenda.

Occisi autem cuiusuis cadauer, aut veneficio sublati, nõ priùs in Ecclesiam inferatur, quàm capta informatione de delicto in genere per nostram Curiam, et in Diœcesi per Vicarios foraneos, qui teneantur statim

co-

cognitionem per eos captam ad nos transmittere.

Nec cadauer quodcunque exhumetur absque nostra licentia in scriptis sub pœna violatæ immunitatis Ecclesiasticæ: recognitio autem cadaueris, quando facienda erit, præuia nostra licentia, fiat extrà Ecclesiã.

Altaria sub quorum bradellis, seù gradibus, sepulta sunt cadauera; donec cadauera in alium locum deferantur, ecclesiastico interdicto subiacere intelligantur excommunicatorum cadauera, quia iure ecclesiastico priuantur ecclesiastica sepultura, exindè ablata sepeliantur in loco, vbi diuina officia audiri nequeant, & omnia seruari mandamus, quæ in B. Pij V. Constitutione præscripta sunt.

Quoniã in exactione iurium Parochialiũ circà funeralia, nec in constitutionibus Prouincialibus, nec Synodalibus nostrorum Prædecessorum reperitur aliquid taxatum in casu, quo quis decedit in aliquo loco Diœcesis, vbi moram trahit quacunque de causa: quare eo prætextu, quòd defunctus sit exterus, & nõ de illo loco, ij, ad quos spectat, petunt, vel extorquent potiùs indebitam pecuniarum summam, & eò magis, quando intestato decessit, aut non elegit sepulturam; ideò ad tollendos abusus præfatos, quantùm in nobis est, & ad vitandas lites, & controuersias, mandamus in futurum Parochis, & quibuscunque alijs Ciuitatis, & Diœcesis, quibus debetur ius Parochiale, quatenus nõ debeant maiorem summam ab aduenis exteris, aut peregrinis, alijsque

 in-

incolis, & indigenis, quàm à ciuibus ſoliti ſunt exigere.

Defunctum ſiuè naturali, ſiuè ſubitanea, ſiuè violenta morte extrà patriam ſuam in quocunque loco huius Ciuitatis, & Diœceſis liceat hæredi transferri facere in propriam patriam, perſoluto tamen Parocho loci, vbi is defunctus fuerit, iure funeris, quod ipſi Parocho cōpetere poteſt. Idem autem Parochus pro iure funeris non plus exigit, quàm ab alijs Ciuibus ſolitus eſt exigere; ſi verò defuncti cadauer ſepulturæ traditum fuerit, nō exhumetur abſque Curiæ noſtræ licentia gratis concedenda.

Cum turpe ſit, & indecorum, vt à perſonis Eccleſiaſticis pro ſepultura concedenda exigantur pecuniæ, nihilomninus, ſunt qui nō verentur contrà omnia iura petere quantitates exorbitantes: & ideò, cum iura parochialia decreta, & taxata ſint, nè fidelium cadauera alibi ſepeliantur, quàm in ſepultura electa, ſtatuimus, quòd pro licentia præſtanda Parochi, & Rectores Eccleſiarum nihil penitùs petere poſſint ratione conſenſus, preterquàm iura Parochialia ſolita, & conſueta.

In Eccleſijs verò Regularium, quando contingerit eligi ſepulturam, aliqua eleemoſyna à ſpontè dantibus admittatur: ipſis verò recuſantibus, vel aliquam pecuniæ quantitatem exorbitantē petentibus, recurrēdum erit ad nos, vel ad noſtrum Vicarium Generalem ad hoc, vt prouideri poſſit, in qua Eccleſia cada-

da-

dauer debeat ſepeliri, & eo caſu cenſetur eoſdem Regulares recuſaſſe cadauer ad ſepulturam electam admittere.

Pro decedentium verò inteſtato ſepultura, morte, ſiuè naturali obierit, ſiuè repentina, ſiuè violenta, nolumus extorqueri ab eorũ hæredibus mercedem ſolito maiorem, & quæ pro cuiuſuis funere, & ſepultura tribui ſolet: nec etiam eorum bona mobilia capi, idquè expreſsè prohibemus, quouis cõſuetudinis pretextu in contrarium non obſtante, tùm in Ciuitate, tùm in uniuerſa Diœceſi, ſub pœna reſtitutionis dupli, aduersùs præſertim Camerarios, ſeù funerum Procuratores.

Pijs diſpoſitionibus, & ſepulturæ electionibus oretenus faciendis ab infirmis, duo ſaltem interſint teſtes fide digni, quia cum ſepulturæ electio ſit ſpecies vltimæ volúntatis, ad inſtar piæ cauſæ probari debet per duos teſtes: nec ſola confeſsarij atteſtatio ſufficit, niſi eius probitas, aut alia iuſta cauſa aliter iudicandũ ſuaſerit

Cadauera laicorum, etiam mulierum nobilium ſepeliri nequeant in Eccleſijs monialium, idq; expreſsè prohibemus, niſi præceſserit licentia Sac. Cõgregationis

Intorcia non deferantur in funeris exequijs, etiam circà cadauer, niſi de cera alba.

Pro Intorcijs, ſeù Intorticijs, funales faces intelligimus, materia, & forma ſimiles illis, quæ in funerum exequijs Eccleſiaſtico ritu geſtari ſolent.

CAPVT. XVII.

De vita, & honestate Clericorum.

POpulorum ædificationi maximè confert morum grauitas, integritas, & bonum Clericorum exemplum: quia cum sint à Mundi huius negotijs segregati, & in sublimem locum euecti, in eos tanquam in speculum cœteri oculos conijciunt. Nomine autem Clericorum intelligimus ad præsens tùm eos, qui prima tonsura, & minoribus sunt initiati, etiam coniugati, tùm etiam eos, qui maioribus ordinibus His ergò omnibus præcipimus, vt habitu incedant talari, honesto, & nigri coloris, zona circumligato: permittimus tamen itinerātibus vestem breuem viatoriam nuncupatam, quæ tamen vsq;ad mediū crus extendatur: hunc verò habitū nemini deferre liceat, si saltem prima tonsura initiatus non fuerit.

Clerici, qui clericatui renuntiarunt, aut habitum dimiserunt, eum non resumant, nec ad resumendum admittantur, nisi causa cognita, & præcedente Decreto nostræ Curiæ gratis concedendo; aliter facta reassumptio, & nulla sit, & nullum pariat effectum. Non tamen intendimus per hoc priuilegijs, quæ ob reassumptum de facto habitum illis competere possunt aliquo derogare clericatui in nostra Curia, illorum verò, qui habitum clericalem dimittere intendunt, præuio iuramento per illos præstito de habitu clerica-

ricali non reassumendo absq;nostra licentia, Vicarius noster generalis instantiam admittat, & seruari faciat cum actu iuramenti iudicialiter præstiti, vt sciri possit, quando sint Clerici, et quando laici, nè, vt solent, vtrumq; forum eludant, neue discordiarum, et controuersiarum inter vtrumq; etiam forum præbeant occasionem.

Collare item sit honestum, & paruum sinè vllo ornatu circum circà; coronam in capite iuxtà ordinum gradum deferant, & labij superioris pili abradantur in Sacerdote propter Sacramenti Eucharistiæ, quam sumunt, reuerentiam.

Quoniam autem eò deuenit Clericorum, nedum adolescentum, sed seniorum etiam, siuè impudentia, siuè contumacia, vt quàmuis Ecclesiastico iure Synodalibus cõstitutionibus, & publicis edictis comam nutrire prohibiti, & pluries benignè, & fraternè moniti de ea moderanda, comatissimi adhuc appareant, capillisq; ad zonam vsque promissis, quod prorsus intolerabile est, in sacro etiam Altari ministrare non vereantur in spretum, & contemptum Ecclesiastici Ritus, & Diuini cultus irreuerentiam.

Volentes proindè pessimi rem hanc exempli pro viribus tollere; nosq; ad Sanctissimi in Christo Patris, ac D. N. Papæ voluntatem in hoc accommodare, strictè præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ Clericis omnibus, & singulis, præsentibus, & futuris, qui in hac Ciuitate, & Diœcesi commorantur, tàm

in

in prima tonſurâ, quàm in minoribus, maioribuſue ordinibus conſtitutis, vt capillos ità attonſos deferant, vt facies ſaltem tota appareat, & collare vndiq; pateat ſub pœna ſuſpenſionis à celebrando nobis reſeruata, quoad Sacerdotes cuiuſcumq; conditionis; gradus, vel dignitatis: contrà reliquos verò omnes, & ſingulos Clericos inobedientes, ſiuè prima tonſura, ſiuè minoribus, ſiuè maioribus ordinibus, eorumue ſingulis inſignitos, ac etiã coniugatos pœnis procedamus à iure ſtatutis.

Perſonati non incedant, nec in tragedijs recitent, vel in comedijs; anulos non habeant in digitis ad ornatũ, niſi fuerint Doctores, & tunc neutriquam, cum celebrant, teneant; de nocte non incedant poſt primam horam, niſi iuſtà de cauſa, & tunc cum lumine, veſteq; clericali. Muſica inſtrumenta publicè non tangant, nec cãtilenas canant prophanas. Ad cauponas, præterquàm in itinere, nullatenus diuertant. Venatio clamoroſa ad præſcriptum ſacrorum Canonum ſit illis penitùs interdicta. Rurale opus non exerceãt, nec animalia ducant, honeſtas tamen artes ad otium vitandum, & vitam honeſtè ſuſtentandam illis concedimus, dummodò publicè non exerceantur; Sœcularia negotia Clericis omninò interdicimus, cuiuſmodi ſunt mercimonia omnis generis, alienos Agros conducere, exceptis caſibus iure permiſſis, aliorum tutelam exercere ſinè legitima facultate; ſœcularium Principum, vel aliarum perſonarum negotia

gotia gerere; officium Medici, vel tabellionis exercere apud sæcularem Iudicē postulare, vbi tamen de iure sit vetitum: in comitatu, & famulatu laicorum esse, vel asseclæ fœminarum officio fungi, eisque famulari, cœterisque sæcularibus, ac publicis negotijs se immiscere. Item ad consilia publica, seù parlamēta Vniuersitatum non accedant.

Personæ Ecclesiasticæ nullo modo valeant fideiubere, aut eorum bona obligare etiam penès acta nostræ Curiæ pro debitis Vniuersitatum locorum, aut Baronum; etiam si in obligationibus cōfiteantur pecuniam mutuò acceptam, vel alio modo debitam cessisse in propriam vtilitatem ipsorum Ecclesiasticorum, dummodò in veritate probetur illam fuisse versam in beneficium Vniuersitatum, locorum, vel Baronum, & ipsas personas Ecclesiasticas nudū tantum nomen in eo cōtractu habuisse, etiam si contractus ostendatur factus cum personis extraneis, & nō cum creditoribus Vniuersitatis, vel Baronis, nec minùs possint se obligare pro quacunq; alia persona ad fauorem Vniuersitatis, vel Baronis: idq; ac prædictorum singula expresè prohibemus sub pœna præsertim nullitatis contractus.

Domos meretricum non ingrediantur, & si in his deprehensi fuerint, mulctētur pœna bimestris carceris pro prima vice, & duplicata pro secunda, & sic de cœteris, saluis alijs pœnis à iure inflictis: Nec minùs domi fœminas habeant suspectas sub prætextu pro-

pinquitatis, famulatus, & seruitiorum.

Bannitos si domi receptauerint, vel si cum eis commercium habuerint, diuturni carceris pœna punientur, ac triremis etiam, si eorũ latrocinia participauerint.

Aleis, & taxillis si luserint, ad præscriptum Decreti Domini Visitatoris Apostolici viginti quinq; aureorũ pijs vsibus pœna plectantur, ab alijs etiam publicis ludis, quàmuis honestis, vt se abstineant, præcipimus.

Arma non gestent intrà, vel extrà loca habitata, nec domi retineant, nimirùm paruos sclopos, vulgò, *archibugetti, terzarole, ò terzette*, ignem euomentia tribus palmis breuiora, & quæcumque alia breuia offensiua, quæ non appareant, vt sunt cultri, vulgò *coltelli à fronda d'oliua, stilletti, e smagliatori*, nec ab eis præcaueri possit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis reseruata, ac triremis in quinquennium, vel carceris ab eodem dicto Episcopo Venusino Visitatore Apostolico statuta. Pro delatione reliquorum armorum, tàm extrà, quàm intrà loca habitata, carceris, aut exilij pœna à Ciuitate, & vniuersa Diœcesi plectantur.

Nullo autem modo possint Clerici penès sœculares Iudices attestari, deponere, vel accusare, nisi iusta occurrente causa, & tunc dabitur illis licentia, nempè in causis ciuilibus, vel criminalibus ad defensam, & visis priùs articulis, & notatis, super quibus deponere habeant, & tandem, quòd iuramentum de veritate dicenda præstent in manibus Actuarij Cu-

riæ

riæ noſtræ, vel alterius perſonæ eccleſiaſticæ à Curia noſtra deſignandæ.

Quoniam bona Eccleſiaſticorum regulariter immunia ſunt, & exempta à quocumque Collectarum, & laicarum ſolutionum onere, & qui directè, vel indirectè ea collectauerint, aut aliquo onere grauauerint, incidunt in excommunicationem latam in Bulla cœnæ Domini. Ideò omnes, & ſinguli Magiſtratus, & officiales Vniuerſitatum caueant à taxis, collectis, gabellis, & alijs onerum generibus imponendis parentibus, fratribus, nepotibus, conſanguineis, vel affinibus perſonarum Eccleſiaſticarum, qui cum eiſdem, ſiuè conuiuunt, ſiuè non. Et ſi in aliqua re fraudatos ſe ſenſerint ab aliqua Eccleſiaſtica perſona fraudolentis, aut ſimulatis donationibus, aut quocumque alio modo nos adeant, Noſque doceant de fraudibus; certi quòd ſicuti Eccleſiaſticorum iura tueri debemus, ac tenemur in his, quæ ſua ſunt, & ad ipſos de iure ſpectant; ſic etiam eos quotieſcumque Vniuerſitatibus locorum damnum, aut præiudicium intuliſſe comperiemus, grauiter puniemus, vt diſcant ipſi, alijque in poſterum ab huiuſmodi fraudibus ſe abſtinere, ex quibus intolerabile prouenit damnum pupillis, viduis, alijſque miſerabilibus perſonis.

Aſſiſtant in diuinis illi Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti cum cotta, & byreto proprijs, eidemque omnibus diebus feſtiuis de præcepto, & in proceſſionib us ſolitis, &

vesperis, quæ iuxtà laudabilem locorum consuetudinem cani solent, & in officijs hebdommadæ Sanctæ, reliquis autem diebus seruiant Missis iuxtà tabellam à Parochis faciendam. Et si in his fuerint negligentes, & culpabiles, Vicarius foraneus, vel Parochus ter eos moneat, & si nihil profecerit cum illis, nos certiores faciat.

Pro Clericis verò Ciuitatis, alijsque in Ciuitate commorantibus decretum omninò seruetur D. Episcopi Venus. Visitatoris Apostolici, cui inhærentes nos, & quatenùs opus est, illud innouantes, prohibemus omnes, & singulos Canonicos, & Dignitates præsentes, & futuros fides, seù attestationes facere de seruitio in diuinis, pro quacumque causa, vel prætextu sub eadem pœna ab antedicto Visitatore Apostolico imposita; nempè suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda, & nobis reseruata. Cum verò ad Capitulum spectet huiusmodi attestationes capitulariter facere Clericis illas petentibus, Procurator Capituli petitionem Capitulo proponere teneatur, eamque per vota secreta, saltem pro medietate votorum, capitulares comprobare debeant, vtque sciatur, an, & quis Ecclesiæ verè inseruierit, ac debitum præstiterit seruitium. Subcantor, eoque absente, antiquior Hebdommadarius in peculiari libro sub eadem suspensionis pœna, vt supra diligenter, fideliterque annotet singulos Clericos, & dies, quibus inseruierunt, vt exindè cognosci possit, an fides,

seù

seù attestatio seruitij in Diuinis concedenda, vel deneganda sit. Seruire autem tunc censeantur, si cum veste talari, superpelliceo, & clericali byreto, tonsuram clericalem deferentes, omnibus diebus festis, & in hebdommadis assignatis Choro assistant, missis priuatis inseruiant, & suorum ordinum sacras ritè obeant functiones.

Habeant prætereà Parochi peculiarem librum, in quo notent dies, quibus Clerici Ecclesiæ seruitio vacāt, vt cum attestationes petierint de seruitio in diuinis, possint ipsi Parochi illas rectè, & fideliter agere.

CAPVT. XVIII.

De Seminario.

CVM adolescentium ætas, vt loquitur Tridentinum, nisi rectè instituatur, prona sit ad Mundi voluptates sequendas; ideò antequàm vitiorum habitus totos homines possideant, statuimus ad Seminarij nostri incrementum, vt qui illud ingredi cupiunt, vti alumni, sint Clerici, & pauperum filij, eoque ingenio, & indole, vt sui profectus in litteris, & virtutibus probabilis appareat coniectura; ideoque circà doctrinam examinentur priùs corā nobis, & de ætate, & natalibus testificationem scriptam afferant à proprio Parocho, quemadmodum de vita, & moribus, & demum diligens fiat inquisito per depu-

putatos. Quibus expletis nullus censeatur in Seminarium cooptatus, nisi nostra in scriptis accesserit facultas.

In ipso verò Seminarij ingressu Ecclesiastica persona fideiubeat pro eis nunquã à Seminario discessuris absque peculiari nostra licentia, ac restituturis omnia, etiam sibi alimenta subministrata pro temporis rata, si indè absque iusta causa abierit. Atque hæc cautio innouetur penes Actuarium nostræ Curiæ, quoties fideiussor discesserit à Diœcesi.

Possint insuper laici in conuictores admitti, qui viginti quinque aureos in annum soluant, & sumptibus proprijs vestiantur, & habeant necessaria requisita. Omnes autem constitutiones aliàs datas teneantur seruare, saluo arbitrio eas moderandi, augendi, & diminuendi, prout nobis cum consilio Deputatorũ Seminarij visum fuerit opportunius. Singulis diebus Missam audiant, & tertia Dominica cuiuscumque Mensis sua confiteantur peccata, & sacra reficiantur Communione. Recitent quotidiè in proprio Sacello officiũ Beatæ Mariæ Virginis & Litanias eiusdem. In Sabbatis verò apud Sacellum S. Mariæ de Pilerio nostræ Ecclesiæ iuxtà onus sibi ab antiquo iniunctum; & de die in diem curent proficere in via Domini rectas semitas eius decurrendo. Studijs sedulò vacent, & modestiæ primùm, libros suos caueant inquinari litteris, vel prophanis apostillis. Cantui, & Musicæ exercitio à prandio per horam occu-

pen-

pentur; & præter nostram Ecclesiam non accedant ad alias Ecclesias cantaturi, nec alias functiones facturi; & vt magis in latina lingua assuefiant, semper inter se latinè colloquantur: Catechismum Romanũ & Sacrum Concilium Tridentinum edifcant, nec nõ Sacras Historias. Vulgari sermone orationes texere studeant, vt ita aptos se reddant ad prædicationis munus obeundum, & in omni exercitio litterario occupentur, vt à via Domini aberrandi nõ præbeatur eis occasio. Idcircò à Rectore, & Deputatis omni hebdomada exerceantur.

Hæc alia ad viuendi formam adiungimus. Sigillatim dormiant in lectis, & paruuli seorsim ab adultis, & lampas tota nocte ardeat, si exire aliquem cõtingat, Censor comitetur per Ciuitatem, extrà verò Ciuitatem, non nisi cum nostra licentia. Nunquam soli exeant, sed saltem bini, Neminẽ spontè alloquantur, Munera nec largiantur, nec accipiant à personis suspectis. Nec litteras scribant, nec scriptas mittant forâs inscio Rectore. Ad ianuæ loca nõ accedant absque licentia Rectoris etiam propinquos alloquuturi, laicorum frequentiam deuitent, nec nullum in Seminarij ædes ingredi sinat ostiarius. Vbi deliquerint in re graui, certiores nos faciat Rector statim. Qui adeò obtusó, & hebeti erunt ingenio, vt anni spatio modicum profecerint, vel sæpius à præscriptis disciplinæ officijs discesserint, nisi ad bonam frugem se recipiant, expellantur; nobis tamen priùs

con-

consultis, & non nisi de nostra licentia in scriptis.
Qui leui ægritudine detinentur in Seminario, à Medico curentur; eaque ingrauescente, curabit Rector de licentia nostra ad proprias ædes eos deduci, à parentibus curandos, & si ex ea conualuerint, mox ad Seminarium reuertantur.

Seminarij Oeconomus rationes redditurus singulis annis, præstò sit coràm nobis cum interuentu duorum de Capitulo, & totidem de Clero ad formam Sacri Concilij Tridentini.

Deputati Seminarij semel saltem in mense visitent Seminarium, hora præsertim prandij, & perspiciant, num aliquid eis desit, & num Oeconomus ea subministret omnia, quę ipsi præscripta, & taxata sũt. Ostiarius hora prandij ostium claudat, claues Rectori deferat, qui eas seruabit, donec ad scholas omnes simul ire debent. Idem fiet vltima diei hora, nempè statim post salutationem Angelicam, ita vt claues penès Rectorem seruentur, qui de eis rationem reddat. Rector, cum Seminaristæ sunt in Seminario, non discedat ab eo, sed semper inuigilet, & cum illis ad scholas eunt, tunc poterit ipse Rector exire, & ea, quæ necessaria sunt foris agere.

In locandis bonis immobilibus, vel impensis extraordinarijs faciendis cõsulat Oeconomus Deputatos, aliter in damnum suum cedent; vbi fuerit aliquid dubium, facient nos de eo certiores.

Delinquentes Seminaristæ tutè custodiantur in carcere,

vt eiuſmodi caſtigationis timore magis, quàm verberibus benè ſe gerere addiſcant.

CAPVT. XIX.

De Officio Parochi.

QVemadmodùm omnium diuinorum diuiniſſimum eſt in ſalutem animarum cooperari. Ità ex aduerſo onus Angelicis humeris formidabile eſt: quod alleuiare cupientes, decernimus, Parocho, nullo modo poſſe à cura ſuæ Eccleſiæ abeſſe, & extrà illam pernoctare vltra duas noctes, & tunc relicto Vicario idoneo, & approbato.

Sacramenta ſuis Parochianis ad omnem eorum requiſitionem, quæ tamen ſit rationalis, miniſtrent, & maximè infirmis, qui verſantur in periculo mortis.

Conficiant libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorũ, & Mortuorum, etiam illorum, qui extrà Eccleſiam fuerint ſepulti; exprimendo cauſam denegatæ eccleſiaſticæ ſepulturæ, in quibus ad Ritualis Romani præſcriptum deſcribant propria manu inſũctater, & nemini illos credant, ſed in archiuio, vbi non exiſtit, faciendo in Sacriſtià Eccleſiæ cum claue ſera, aut peſſulo, reponant. In quo etiam Archiuio reliquos libros, & ſcripturas aſſeruari mandamus.

Præter libros iam dictos, conficiant ſingulis annis ſtatum animarum juxtà formam dicti Ritualis. Ex ijs-

dem

dem libris Curati, cum extrahunt fides, in earum extractione curent annotare integrã particulam, prout iacebit, siuè italo, siuè latino sermone exaratam, cum annotatione folij, & numeri librorum respectiuè, cui demum se subscribant, & muniant sigillo ad hæc omninò faciendo cum insignijs Ecclesiæ Parochialis, quàmprimum possint, & iura alias sibi taxata, & consueta non augeant.

Vbi verò sint Curati portionarij, tũc singuli pro se quisque habeat proprium librum, vt de propria negligentia teneri possit. Et si omnes in vno eodem libro sint soliti describere alternatim in propria hebdomada, tunc alter alterum vrgebit, vt descriptiones fiant, sic etiam ad celebrandam Missam Conuentualem, & ad ministrãda Sacramẽta singuli in singulas hebdomadas tenentur; nec tamen necessitatis tempore hoc onus est sublatum cœteris; quando tamen de licentia Curiæ opus fuerit aliquid libris addere, tunc seruatis seruãdis fiat additio in margine, vel in alia pagina, seù folio libro assuenda cum inserto mandato Curiæ.

Et ad Sacramentorum administrationẽ redeuntes, Parochi portionarij tempore Paschali, & grauis infirmitatis suas recognoscant oues, illis ministrando Sacramenta, nullatenus in hoc alijs se immiscentibus, præterquàm in casu necessitatis.

In coadiutorem neminẽ adhibeant, nisi bonis moribus & sufficienti doctrina præditum, & à nobis quo ad ex-

excipiendas confessiones præsertim approbatum.

Nec solùm Parochis incumbit onus Sacramenta administrandi, sed etiam festa, & ieiunia publicandi, & alia de more pastorali, & concionem habendi ad populum, in quo intelligibiliter explicabit Sacramentorum necessitatem, eorum requisita, ac valorem, ritum, vitiorum fæditatem, virtutum delectum, finem hominis, nouissima illius, & alia apprimè necessaria, & vtilia ad animæ salutem. Hoc idem onus habendi sermonem spectabit ad Oeconomos, deficiẽte Parocho. Sermo huiusmodi tempore Aduentus, Quadragesimæ, & festorum solemnium nõ protrahatur vltrà horæ dimidium; reliquis verò festis non vltrà quadrantem. Itemque debebunt singulis annis feria quinta Cœnæ Domini promulgare capita excommunicationum Sanctissimo Domino Nostro reseruatarum, italico sermone exarata, necnon alia non nulla Decreta, & constitutiones in appendice huius Synodi descripta cum temporis assignatione.

Vlteriùs singulis Dominicis, & festis de præcepto celebrare tenentur, & applicare salutarem Missæ virtutem pro populo iuxtà cuiusque Ecclesiæ probatam consuetudinem, vbi tamen receptum sit pluries applicare, vel quotidie, prout in nõnullis Ecclesijs nostræ Diœcesis, non intendimus derogare. Missa verò celebretur statuto tempore, duabus circiter post Solis ortum horis, nec vllo pacto anticipetur, aût diutiùs differatur, & in die Purificationis Beatæ Mariæ

Virginis candelas distribuant populo in ea quantitate, pondere, & mensura, prout laudabilis consuetudo postulabit pro locorum diuersitate. Benedictio verò candelarum in die Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ fiat mane antè Missam solemnem, nō autem Vesperi diei præcedentis; quod ab aliquibus Parochis fieri accepimus. Studeant proindè in posterùm ritum, quem S. Mater Ecclesia Catholica eo die in Missali præscripsit diligenter seruare.

Non aboleant Parochi oblationes sibi, vel Ecclesiæ fieri solitas à Communitatibus de cereo Paschali, panibus, pecunijs, & alijs huiusmodi. Et oblationes Ecclesijs debitas sibi non applicent. Oblationes recepturus eas post Offertorium ante Hostiæ, & Calicis oblationem percipiat in Altari, non circumeundo Ecclesiam, & non vtatur sacra Patena ad osculum pacis, sed aliam paruam Pionem, aut paruàm Crucem porrigat osculandam auscultantibus Missam. Ecclesiæ tanquam Sponsæ, eiusque nitori Curatus omnis inuigilabit, propterea munda seruari omnia ornamenta curet, sacras, tùm maiores, tùm minores, corporales, pallas, quater in anno lauari linteola, seù purificatoria semel in mense, tobaleas, seù manutergia item ablui singulis mensibus, & puluerem excuti à Sacris Altaribus, & puluinaria ad Altarium vsum accommodata non applicari ad prophanum vsum, & pro genuflectendo simili modo non permittant intùs, aut secùs Ecclesiam ictus scloporū emit-

emitti, tũ de nocte, tũ de die. Iuriũ, & bonorũ conseruationi incũbent, ac proindè intra annum à die promulgationis præsentis Synodi duo conficere debeant inuentaria, vnũ pro Mobilibus eiusdem Ecclesiæ bonis, & alterum pro immobilibus facienda cum inteuentu publici Notarij; ex quibus duo exemplaria extracta vnum penes se detineat, & alterum transmittat ad Curiam; & vbi Parochum Parochiã dimittere contingerit, Sucessori ad formam dicti inuentarji omnia bona tradet alio inuentario publico, nihil indè secũ deferẽdo. Huic decreto omnes Administratores subiacebunt, vt infrà; Si Parochus abierit, eius Sucessor nouũ conficiet inuentariũ. Vtrũque inuẽtariũ quolibet decẽnio innouetur addendo, vel detrahẽdo, quæ necessaria fuerint cũ causæ assignatione. Alios libros iniungimus curæ Parochorũ, & primò omnia edicta monitoria, constitutiones Pontificias, indulta, & transumpta indulgentiarum congerant simul ad modum libri, & successiuè cum adnotatione Summarij contentorum, & temporis data; Secundò, vt conficiant alium, in quo adnotent cedolones excommunicatorum, & absolutiones eorum, vt res potiores, & scripturas, quæ fient in dies, vt hæc omnia sint memorialia in contigentijs.

Cumque eos denique doctrina instructos esse oporteat, ad instar Apellis, dies sinè linea non transeat, quo aliquod temporis spatium studio casuum conscientiæ non impendant; qui verò secùs egerint, culpa non

non carere se sciant. Hi verò libri cuilibet non desint, Biblia Sacra, Concilium Tridentinum, Catechismus Romanus, Posseuinus de officio Parochi, Synodus præsens, Nauarri Manuale, Summa Card. Toleti, Vitæ Sanctorum, Homiliæ Sanctorum Patrum, præsertìm Rituale Romanum nouissimè editum Parochi omnes penès se habere, & retinere omninò curent; ac illud in Sacramentorum administratione seruare.

Quoniam quandoque occurrit in certis casibus repentinis, vt aduertito proprio Parocho ad finem administrandi Sacramenta infirmis, vel morti proximis nullò modo illum aliqua occupatione detentum, vel alia de causa absentem in sua Parochia reperiri; ideò, nè fideles propter sui Parochi absentiam in his casibus debita Sacramentorum administratione priuentur; declaramus, occurrente huiusmodi necessitate tantùm, Ecclesiastica Sacramenta Confessionis, Viatici, & Extremæ Vnctionis, Parochos etiam alterius viciniores Parochiæ, licitè, & liberè ministrare posse absque vllo pœnarum incursu, citrà tamen præiudicium iurium Parochialium proprio Parocho competentium, si iusta de causa deerit.

Anulos non deferant in manu, nisi laurea doctoratus insigniti.

Liberũ sit Parochis facere exequias, & officia mortuorum absque interuentu Vicarij foranei; qui in illis celebrandis, sicuti cum alijs esse potest, & debet,

sic

ſic non debet ſe expectari facere, nec diuina officia retardari ſub prætextu ſuæ abſentiæ.

Item ſingulis ſaltem annis dent nobis indicem Concubinariorum, ſiuè publici ſint, ſiuè occulti, & ſiuè in propria, ſiuè in aliena domo concubinas habeant. Illorum etiam, qui non communicauerint in Paſchate, & Coniugum, qui ſeorſim viuunt, & non habitant ſimul, vt poſſimus eos inter ſe conciliare.

Excommunicati denunciati, ſi per menſem in excommunicatione permanſerint, à proprio Parocho, ſiuè Ciuitatis, ſiuè Diœceſis ſingulis Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia, cum frequentior eſt populus in Eccleſia, publicentur, vt hoc ſaltem remedio reſipiſcant; & ſi per annum inſordeſcant, eorum Nomina proprius Parochus ad noſtram curiam mittat, elapſo anno, vt in Ciuitate etiam eos publicari faciamus ad ſonum Campanæ.

Quotieſcunque Parochi in Vrbem venerint, ibique vltra duas noctes pernoctauerint, ſtatim coràm nobis ſe ſiſtant excuſaturi ſuam à Parochia abſentiam.

Pro atteſtatione,ſeù pro fide Baptiſmi,Confirmationis, Matrimonij, aut mortis, vel pro quauis alia duos tantùm carolenos pro vnaquaque earum ſigillatim facienda accipiant ſub pœna reſtituendi illud plus, quod acceperint.Sed ſi ſecunda vice taxam hanc exceſſerint,duplum etiam perſoluant pijs vſibus applicandum.

Vicarij foranei, etiam Parochi omni ſtudio, omnique co-

conatu incumbant, vt antè diem festum Paschatis Magistratus municipiorum, siuè Sindici oppidorum & Pagorum eleemosynam Cōcionatoribus debitā iuxtà antiquam, & immemorabilem consuetudinē persoluant, nè postmodùm, vel illis denegetur, vel solui differatur: atque ideò nō cogantur hac de causa non sinè magno eximij huius muneris dedecore, & ignominia sœculares Iudices adire.

Ad sacra olea à Metropolitana Ecclesia in feria V. Cœnæ Domini, aut ad summùm in feria VI. Parasceues accipienda, nullus destinetur; qui maioribus nō sit ordinibus insignitus, aut bonis moribus ornatus; & tunc suis vasculis inclusa in arcula reponat, sua claue muniat, & nemini eam credat. Statimque ad Parochialem Ecclesiam nulla interiecta mora deferat cum lanterna, & lumine accenso ad eorum venerationem. Qui aliter fecerit, triginta librarum ceræ laboratæ pijs vsibus &c. pœna puniatur. ☞ Præcipimus prætereà Parochis, tàm Diœcesis, quàm Ciuitatis, vt per totam diem Cœnæ Domini, & feriæ VI. Parasceues ad sūmùm ad sacra olea accipienda veniant, aut mittāt, vt illis vti possint ad benedictionem fontis baptismalis die Sabbati sancti sub eadem pœna: quam etiam incurrere eos volumus, si in Vigilia Pentecostes fontis Baptismalis benedictionem non fecerint.

CAPVT. XX.

De Canonicis, & Dignitatibus.

EX antiqua conſuetudine, & authenticis monumentis Capitulum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis conſtat ex quatuor Dignitatibus, Decano, Archidiacono, Cantore, & Theſaurario, ac ſexdecim Canonicatibus, nec nō altero poſtmodùm ſuperaddito, quibus fraterna charitate hæc illis iniungere, tàm omnibus in communi, quàm ſingulis, necnon alijs de Clero noſtro viſum eſt. In primis noſtrum erit in rebus arduis, & grauioribus, vel Vicarij noſtri Generalis, cogere Capitulum, & regere; in cœteris verò Decanus, eoque abſente Archidiaconus, & ſic cœteræ Dignitates iuxtà ordinem, in quarum defectu antiquior Canonicorum præſideat. Modus verò cōuocandi erit in rebus arduis per clericos nuncupatos manuclerios, qui ſingulos requirant in Ciuitate cum intimatione diei, & cauſæ expreſſione; Veſperi pro mane diei ſequentis, & de mane pro Veſperi eiuſdem diei, & per quadrantem antè pulſari facere cā-panulam Capituli, vt moris eſt. In reliquis autem rebus ordinarijs, & extemporaneis ſatis erit, ſi pridie, quàm celebretur, primus de Capitulo (iuxtà Decretum Prouinciale) denunciet capitularibus per ſchedulam ſuā manu ſignatam intus in Sacriſtia affigendam ea, quæ agenda erunt in capitulo, nec aliter conuocari poſſit Capitulum. Nullus ingredi valeat,

Dignitatibus, & Canonicis exceptis, nisi fuerit ab eis vocatus ad instruendum tantùm de his circà, quæ opus fuerit, & non ad determinandum. Si denique res, & qualitas negotij trutinandi exigat extemporaneum tractatum, his, quæ diximus, prætermissis, conueniat Capitulares ad Capitulum.

Locus verò Capituli (excepto eo, quod singulis Kalendis Ianuarij consuetum est cogi in ædibus nostris coràm nobis, vel nostro Vicario) sit conclaue proximum Sacristiæ nostræ Ecclesiæ, quod mox ingressi solitas preces de Spiritu Sancto persoluant, & deindè quisque sedeat in loco suo secundùm prærogatiuas Dignitatum, & antianitatis, & in consultationibus proponat, qui maior fuerit in Capitulo; unicuique postmodùm liceat de rebus propositis sententiam suã spontè proferre secũdùm ordinis prærogatiuam Dignitati, & antiquitati respondentem, quã modestè, & sedatè dicat, & à rixis, litigijs, & contumelijs abstineant; qui verò eo demẽtiæ prolapsi fuerint, vt iniurijs sese afficiant, mulctandos decernimus priuatione distributionis vnius mensis, aut grauiori pœna, si grauis fuerit culpa. Vota accipiat Secretarius Capituli, eaque dentur secretò per fabas, & propria manu mittantur in vrnam, adeò vt nemo possit alteri suum votum credere, vel delegare, nisi fuerit legitimè impeditus, & tunc aliquem de eodem Capitulo Procuratorem subrogabit cum speciali mandato iurandi in animam suam de absentia à Ciuita-

uitate, infirmitate, aut alio legitimo, quo detinetur, impedimento. Nec alteri votum suum indicabit sub pœna nullitatis Capituli, & qui non fuerint in ordine Sacro, vocem non habeant in Capitulo. Potestas verò Capituli cum in maiori Canonicorum numero consistat, actus vt sit validus, fieri debet à maiore Capituli parte, quæ quidem maior pars intelligenda est respectu totius Capituli, non autem illorum tantùm, qui in Capitulum ingressi sunt, exceptis electionibus, in quibus duæ partes requiruntur; & in alienationibus consensus omnium necessariò concurrat. Vrna ipsa duobus dignioribus intuentibus aperiatur, & suffragia dinumerentur, quæ si paria fuerint, iterum res, quæ in consulationem venit, suffragijs exponatur, quòd si adhuc paria sint, exponatur tertiò, vel iudicio sortis dirimatur, & habitam conclusionem Secretarius promulgabit, & in librum capitularem referat.

Caueat autem quisque, nè cum quid contrà propriam sententiam decretum fuerit, adhuc tamen aduersetur obstinatè asseuerans eam sibi rē non probari, quod enim maior pars censuerit, id rectum esse sibi planè persuadere debet. Aliter rem ad nos deferat.

Singulis autem ferijs sextis fiat Capitulum post Vesperas, nisi aliquod emerserit impedimentum in Ecclesia, & ibi proponantur necessaria, quæ si desint, qui præsederit, hortetur ad obseruātiam Canonum, & pium aliquod opus. Capitulo non liceat quoti-

dianas diſtributiones abſentibus remittere, ſed intereſſentibus accreſcant, & pecuniæ, quæ in dies cõtingat perſolui Capitulo,& Clero Cathedralis ex legatis,& retrouentionibus ſeruentur in loco tuto,donec reinueſtiantur in empitionem de licentia noſtra faciendam. Nemo cofirmari poſſit in officialem,niſi redditis rationibus,& ſatisfacto debito, & aliter facta confirmatio ſit irrita, & viribus careat.

Ad Capitulum conuocati, ſi non accedant, conſultant animæ ſuæ circà conſcientiam,& nihilominus amittant diſtributiones illius diei, vbi ex infirmitate, vel abſentia notum fuerit eos excuſari, & cœteri de capitulo non poſſint illis remittere huiuſmodi diſtributiones, & nè indè reliqui, qui ad capitulum ſunt conuocati, fruſtrentur ſuo fine, pro quo opus fuerit aliqua deliberatione; poſſint nihilominus diſponere, modò nõ fuerint minores duabus partibus, & legitimum habeatur capitulum.

Quoniam autem præcipuũ Præſulis munus in eo præſertìm conſiſtit, vt diuinus cultus, vbi eſt imminutus, inſtauretur, & vbi viget, augeatur magis; ideò maledictionem ijs inflictam, qui faciunt opus Dei negligenter, pro eo, ac poſſumus, vt effugeremus: Chori ſeruitium, quod penè intermiſſum in Cathedrali non ſinè magno animi mœrore comperimus, in integrum reſtituere conati ſumus, omnemque curam, omnemque diligentiam adhibuimus,vt Canonicos, & Dignitates ad debitum in Choro ſerui-

uitium præſtandum dulciter, ſuauiterque perduceremus, & ad obſeruationem ſaltem Capitularium cõſtitutionum decem diebus continuis in ſingulos menſes ſingulis Canonicis, & Dignitatibus ſeruitium præſcribẽtium; ità tamen, vt tertia eorum pars ſingulis diebus in Choro nõ deficeret, ſed ipſi Capitulares etiã Cõſtitutiones, quãuis multùm ſibi fauorabiles, prorſus negligentes, & conſuetudinẽ pro ſe allegãtes, perſoluẽdi ſinguli pro ſe quiſque eorũ triginta tantũ puncta in ſingulos mẽſes; nẽpè vnũ ſingulis diebus punctũ; idque pſallẽdo paruas tantũ horas in Choro; neceſſitatẽ nobis impoſuerũt, poſtquã fruſtrà rationibus, & monitionibus actum eſt cum eis adeundi ſacram Concilij Tridentini Congregationem, atque ab ea petendi, vt prædictas ſaltem Capitulares Conſtitutiones obſeruari mandaret, nè Chori diſciplina omninò antiquaretur. Verùm Sacra Congregatio nulla Capitularium Conſtitutionum habita ratione, vtpotè quæ perperàm quo ad hoc editæ fuerant abſque Summi Pontificis approbatione, concordans pariter cum Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotijs præpoſita, quæ anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo eaſdem Conſtitutiones in hoc, vti Tridentino Concilio contrarias, omninò ſubſtulerat; & abrogauerat, Canonicos, & Dignitates ad præſcriptum Concilij Tridentini Choro inſeruire debere reſcripſit.
Pro eiuſdem reſcripti obſeruatione primis, ſecundis, &

ter-

tertijs litteris mandauit, Canonicos, & Dignitates compelli ad seruitium à Concilio præscriptum in Capitulo 12. sess. 24. de reformatione, medijs ab eodem suppeditatis; si quæ illa non satis proficerent, vel ad priuationem deueniri, vel suspensionis remedium adhiberi: cum pœnas in ordine ad priuationem graduado mens Sacri Concilij non fuerit antiqui iuris pœnas abrogare: ac propterea nullam aduersus hæc inhibitionem forè attendendam, nisi manu Sũmi Pontificis signatam.

Quarè ità præscriptum à Sacra Congregatione Chori seruitium, quàmuis edicto à nobis edicto die 27. Octobris 1676. diligenter obseruari mandauimus; præsenti tamen cõstitutione, denuò, ac strictiùs præcipimus, vt Canonici, & Dignitates diuinis intersint officijs, & Choro seruiant Cathedralis Ecclesiæ ad præscriptum Concilij, nempè integros menses nouem singulis annis sub pœnis à sacris Canonibus ab eodem Concilio decretis; alijsque pœnis à Sacra Congregatione declaratis, quæ magis proficere videbuntur.

Ijsdem autem Dignitatibus, & Canonicis in Choro versantibus hæc præterea in memoriam reduci oportet, vt quisque sedeat in suo loco, videlicet, Decanus, & Cantor ex latere dextro, in quo sedes nostra Archiepiscopalis est reposita, ex parte altera Archidiaconus, & Thesaurarius, & hinc indè octeni Canonici in singulis lateribus iuxtà titulos præbendarum, & an-

& antianitatum; ſed Canonicus ſupernumerarius ſit in noſtro latere. Vbi verò emerſit occaſio, vt plures ſint Canonici ex vno latere, quàm ex alio, tunc ad decorem, & ornatum, qui ſunt ex altero, accedant ad ſupplendas vices in competenti numero.

Sciant prætereà Canonici omnes, & Dignitates omnibus Dominicis, & feſtis de præcepto, nec non ſingulis diebus Quadrageſimæ, ac præſertim feſtorum ſolemniorum primæ Claſſis Choro intereſſe debere, ac trimeſtri vacatione non omnibus ſimul frui licere; nè Chorus omninò deſeratur, ſed tempus à nobis cuique aſſignandum; quo nec ipſi trium menſium vacatione à Concilio permiſſa, nè Chorus defraudetur ſeruitio.

In Choro autem Rochetum, & cappam magnam deferant à vigilia feſtiuitatis omnium Sanctorum ad vſque Sabbatum Sãctum Paſchatis Reſurrectionis, ac deindè ſuperpelliceum ſupra Rochetum; extrà verò propriam Eccleſiam, ſiuè in publicis Proceſſionibus, ſiuè in exequijs Defunctorum, ſiuè in quauis functione, nunquam cappa magna vtantur, ſub pœna priuationis quotidianarum diſtributionum illius diei, quo contrà Decretum hoc venerint.

Dignitates habeant tertiam partem ſupra eam, quam habent Canonici, & hi alteram tertiam partem reſpectu illius, quam habent Beneficiarij, ſeù Hebdomadarij, & Sacerdotes, idque iuxtà morem receptum intelligi volumus, cum de diſtributionibus tùm de

de emolumentis anniuerſariorum, & funerum mortuorum, & álijs ſimilibus.

Cum ad Eccleſiam quotieſcumque acceſſerit Archiepiſcopus cum cappa magna in eundo è Procœtono, ſeù Anticamera Archiepiſcopalis Palatij, & in redeundo ad eundem vſque locum comitari teneantur, ac debeant Canonici, & Dignitates: ideò hora & loco ad id deſignatis præſtò erunt Canonici omnes, & Dignitates cum eorum inſignijs tempori congruis.

Canonicus, qui in præſenti ex diſpenſatione Apoſtolica etiam Parochus Metropolitanæ Eccleſiæ; quoties in propria Eccleſia munia obit, in quibus ſtola vti debet, eam nunquam ſuper Rocheto induat, ſed ſupra ſuperpelliceum: quod cœteri etiam Canonici, & Dignitates obſeruare debent, cum de eiuſdem Parochi licentia eadem munia obeunt.

De Officio Decani, & Pœnitentiarij.

HActenus de Dignitatibus, & Canonicis in communi, nũ de eiſdẽ in particulari hæc ſtatuimus. Decanus cum ſit in prima inter Dignitates Capituli, ipſi incumbit Capitulum conuocare, & negotia proponere, & primum habere locum in Sacriſtia, & in Choro, ibique alios corrigere, ſi opus erit, & veniam dare his, qui iuſtam egrediendi cauſam habẽt. Nobis Ponteficalia ſolẽniter exercentibus aſſiſtere, & in

& in nostri absentia omnes functiones, & missas, quas ipsi teneremur persoluere in solemnioribus festis per annum, & distribuere candelas, cineres, & palmas, & feria V. communicare omnes de Capitulo, & Clero; & in eius defectu Archidiaconus, & reliquæ Dignitates succedant gradatim cum Canonicis. Verùm cum præfatæ Dignitati Pœnitentiaria reperiatur annexa, tenetur proindè in propria sede confessionaria sedere, & fideles accedentes pro suis manifestandis peccatis benignè suscipere, & hortari, vt suas impleant partes ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarias, præsertìm tempore Quadragesimæ; & Aduentus, & diebus Dominicis, & festis, quibus frequentior esse solet populus in Ecclesia.

A casibus, & censuris nobis expressè reseruatis non absoluet iuxtà Decretum Sacræ Congregationis Cōcilij peculiariter pro Pœnitentiario Cathedralis Ecclesiæ Consentinæ emanatum die secunda Maij 1648. & confirmatum die 19. Augusti 1665.

Facultatem insuper absoluendi à reseruatis, quæ cōpetit Pœnitentiario, non potest alijs delegare, sed in sacramentali confessione ipse exercere.

De officio Archidiaconi.

ARchidiacono, qui Decano proximus est, incumbit in generali, quod paulò antè diximus, sed eius officium peculiare est cum cœteris examini ordinandorum, & Sacris ordinationibus nobis assistere, nec

non consecrandis sacris oleis feria quinta in Cœna Domini.

De Officio Cantoris.

CAntoris munus erit Chorum regere, & gubernare, cœteraque diuina officia intrà, & extrà Chorum dirigere, lectiones, antiphonas, & Prophetias distribuere, tabellas conficere, & ordinare, quibus functiones Ecclesiasticas per turnum ordine successiuo, ac munia cuique pro Missis celebrandis, ac diuinis laudibus canendis diebus Dominicis, & festis assignabit. Studeat Cantor pro viribus, vt diuinæ laudes piè, deuotè, ac distinctè recitentur, silentium indicet, risus, & colloquia cohibeat, neuè quis in psallendo nimium festinet, vel tardet, neque versus alter antè alterius finem inchoetur, & quisquis in suo maneat loco. Circà officia quotidiana Tabellam temporis seruabit, nisi aliter opus fuerit pro obeundis funeribus Defunctorum, vel pro celebrandis pluribus Anniuersarijs, vel Missis solemnibus, aut alijs iuxtà morem Ecclesiæ. Omnes igitur, qui in Choro, Missa, & Processione, reliquisque secundùm vsus præfatæ Ecclesiæ fuerint, illi obedient. Eo autem absente, vel impedito subcantor eius vices suppleat, qui & cantu plano polleat, & primus Præsbyterorum sedeat.

De

THesaurarij munus est totũ circà sacras Reliquias benè asseruandas, & qua conuenit decentia, indumenta, vasa, ac denique totius thesauri Ecclesiastici diligentem habebit custodiam. Idcircò fidele faciat inuẽtarium omnium bonorum suppellectilium, & rerum cuiuscumque generis, quæ sint penès se, & in Sacristia, nec non sacrarum Reliquiarum, & indè duo extrahere exempla, vnum penès se habeat, & alterum in Curiæ Archiuio reponat intrà mensem à die publicationis huius Decreti: ex bonis in inuentario descriptis non commodet, nec extrahat, aut extrahi permittat extrà Ecclesiam sinè licentia nostra sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aduersùs etiam quoscumque alios, qui bona prædicta, aut aliquod illorũ extraxerint. Sacristam proprijs sumptibus in officio contineat, & hic illi subordinetur circà munera Sacristiæ, in cuius cubiculis, tàm suprà, quàm infrà sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis reseruatæ nullus laicus pernoctet. Vltrà Sacristam habeat manucletium vulgò dictum, qui inseruiat pulsandis campanis, sepeliendis cadaueribus, Ecclesiæ verrendæ, & arcendis canibus.

Accendendi verò lampades antè Sanctissimum, Crucis deferendæ in defunctorum exequijs, & supplicationibus Clerici munus erit, nempè alternatim per hebdomadam vnicus ex illis quatuor, qui Ecclesiæ

inseruiunt. Denique ad ipsum Thesaurarium spectat principem Aram ornari facere in solemniorem,& in Dominicis, & festis diebus, candelas apponere suis sumptibus iuxtà pacta, & conuentiones aliàs initas cum nostro Prædecessore bonæ memoriæ D. Archiepiscopo Syluio Passerino.

In oleorum sanctorum distributione nihil accipiat Sacrista, siuè Thesaurarius etiam spontè datum, non obstante contraria consuetudine.

Mandamus prætereà Thesaurario, siuè Sacristæ, vt sacra olea Parochis, aut eorum Oeconomis, alijsuè Sacerdotibus, quos Parochi mittent, tantùm tradat, ac singulorum nomen, cognomen,& Parochiæ etiam in libro ad hoc faciendo describat, ac diem etiam, qua sacra olea quisque Parochus, aut alius ab eo missus accipit.

De Prabenda Theologali.

PRæbendam Theologalem, aliàs erectam de anno 1628. per taxam Beneficiorum cum redditu annuo instaurare, ac promouere summoperè cupientes, nè in simplicem transeat Canonicatum per diuturnam Canonicorum, qui eam possederunt, & legendi munus non impleuêrunt, siuè imperitiam, siuè negligentiam; statuimus, vt ad formam illius erectionis Canonicus Ecclesiæ nostræ Theologus se-

ſemel in hebdomada die à nobis deſignata ſacram exponat ſcripturam; ad eam omnes conueniant de Capitulo, & Clero, etiam Parochi non impediti.

CAPVT. XXI.

De Chori Diſciplina.

CHoro addicti accedant benè inſtructi de ſuis fũctionibus, cum ſuperpelliceis mundis, biretis,& alijs veſtibus cuique congruis iuxtà qualitatem perſonæ, & temporum. Vnuſquiſque talarem veſtem deferat in Choro ſub pœna priuationis diſtributionum quotidianarum illius diei, quo breuiori veſte vtetur.

Rochetum Canonici tantùm induant, manicis non intrà reiectis, ac pendulis, ſed ijs brachia contegant, eiuſque fimbrias non ſuper brachia complicent,nec ſuper humeros attollant, quod & ſimplices Sacerdotes facere auſi ſunt.

Rochetum enim ideò anguſtioribus formatur manicis, vt eo Canonici pro ſuperpelliceo induti ad obeunda munia ſua expeditiores fiant.

Quiſque ſedeat prout ſibi per dignitatē, vel antiquitatē nouerit eſſe permiſſum; & vt quilibet poſſit conuenire, ſtatutis horis pulſetur campanula antè Matutinum, & Veſperas per dimidiam horam antè, qua elapſa mox inchoetur officium per Hebdomadariũ,

co-

eoque inchoato, omnes deuotè, & attentè assistant. Distributiones enim diuiduntur in tres partes, nempè vna est pro matutino, & prima; secunda pars pro tertia, sexta, nona, & missa; tertia pro Vesperis, & Completorio. Qui non fuerint in Choro, antequàm absoluatur primus psalmus, & in Missa, antequàm incipiatur Gloria, aut si egrediantur, antequàm fuerint expletæ Horæ Canonicæ, & Missa Conuentualis, & solemnis, nihil lucrentur in illis horis respectiuè. Nullus confabuletur, litteras legat, aut quidquam alienum exerceat. Nec submissa voce possit recitare officium sub pœna amissionis distributionum pro illa die iuxtà ratam.

Clerici cuiusuis ordinis, conditionis, gradus, vel dignitatis, si quo tempore Diuinis inseruiunt, siuè in Choro, siuè in quacunque functione, siuè præsertim in Altari, tabaccum fumant, excommunicationem nobis reseruatam incurrant. Perlatum enim ad nos est, nonnullos eorum in peragendo Missæ sacrificiū, linteola, seù purificatoria, & quod prorsus intolerabile est, sacras etiam maiores corporales pallas, tabacco cum sordibus, quæ è naribus fluunt, mixto conspurcasse, nec chiroteceas habeant in manibus & vbi error, aut defectus aliquis emerserit correctione dignus, qui Dignitate ex Capitulo in choro præcellit, corriget; isque exeundi è choro licentiam dabit ijs, qui necessitatem egrediendi habebunt.

Quàmuis Canonicis, & Dignitatibus, alijsque assistentibus

tibus in choro Diuinis officijs liceat tenere pileolũ in capite, illud tamen deponere debent per totum Canonẽ Missæ conuentualis, vel solemniter cantatæ.

Clerici omnes, tàm Ciuitatis, quàm Diœcesis in Dominicis; & festis de præcepto inseruiant Ecclesiæ, cui sunt adscripti, alioquin ad alios ordines nõ promouebuntur; sed Clerici ciuitatis priuentur etiam distributionibus mortuorum, alijsque prouenientibus ex vectigali macelli, seù grassæ, quæ alijs choro inseruientibus accrescant; & obseruetur cum eis Decretum Domini Episcopi Venuzini Visitatoris Apostolici.

Sacerdotes omnes nostræ Diœcesis, cum cãtatur Missa in Ecclesia Parochiali, choro intersint, nec egrediantur antequàm fuerit completa, quod facere debebunt cœteri omnes, tàm in maioribus, quàm in minoribus ordinibus constituti.

Sacerdotes autẽ huius Ciuitatis, nisi in choro Metropolitanæ Ecclesiæ inseruiant, & intersint horis canonicis, non fruãtur distributionibus Anniuersariorum.


Chorum nulli laico tempore diuinorum officiorum ingredi liceat, nec in eo sedere sub pœna excommunicationis. Et nullus Sacerdos celebret in Altari maiore, dum in choro horariæ preces persoluuntur, aut celebrandi causa è choro exeat, nisi à Sacrista fuerit vocatus. Omnes addiscere studeant, & adamussim seruare sacras cæremonias.

Choro intelligantur præsentes cœremoniarum Magister,

ſter, dum ea, quæ ad ſuum munus ſpectant in Eccleſia, vel Sacriſtia exequitur. Pœnitentiarius, dum cõfeſſiones excipit, & Canonicus, qui habet præbendã theologalem, ea die, qua Sacram ſcripturam in Eccleſia exponit.

Punctator chori, & contrapunctator, quorum primus à Capitulo, alter à nobis ſingulis annis creabuntur, antèquam munus inchoauerint, iurent de benè, & fideliter adminiſtrando. Sint circumſpecti, & adnotent tranſgreſſores noſtri inſtituti, tàm qui diuinis nõ interſunt officijs, quàm etiam illos, qui confabulantur in choro, vel priuatim recitant officium, & cum cœteris non canunt, aut alijs ex cauſis priuandi ſunt diſtributionibus, vbi verò negligant hæc ſeruare, puniantur pro modo culpæ, ac etiam, vt periuri.

Libros Punctator, aut contrapunctator retineant in loco publico, ibique deficientes annotabunt, & cuicũque poſtulanti oſtendent. Quod ſi Punctatoris, & contrapunctatoris libri aliqua in re inter ſe diſcrepauerint, nobis, vel Generali noſtro Vicario exhibebuntur, vt omnis tollatur controuerſia ſinè ſtrepitu, & figura iudicij.



CAPVT. XXII.

De Beneficijs Ecclesiasticis.

IN permutationibus Beneficiorum corã m nobis faciendis, iurent permutantes nullã interueniſſe fraudem, nullamque labem Simoniacam. Reſignationes autem in curia non accipiantur indiſtinctè, ſed in ijs caſibus, qui habentur expreſsè in conſtitutione B. Pij V. Poſtmodum ad præſcriptum Gregorianæ ſanctionis fiat promulgatio litterarum Apoſtolicarum, aut Epiſcopalium ſub pœnis ibidem contentis.

Qui de aliquo beneficio eccleſiaſtico in noſtra Ciuitate, vel Diœceſi exiſtente à S. Sede, eiuſque Summo Pontifice, aut ab alio conferendi ius habente prouiſus fuerit, litteras Apoſtolicas, ſiuè collatitias, non impedita illarũ exequutione, in noſtra Curia exhibere teneatur intra menſem; vt quæ in litteris cõtinentur, comprobari poſſint, & cognoſci, nùm preces veritati nitantur; Cum pluries fraudem factum fuiſſe reperimus ab impetrantibus Beneficia, tùm extenuando valorem fructuum, tum tacendo alia beneficia, quæ poſſident, tùm maximè non aperiẽdo cauſas, ob quas Beneficiorum ſunt incapaces.

Ad beneficia de iure patronatus, nemo poſt hàc præſentetur, & in ijs inſtituatur, niſi anteà iuridicè conſtiterit de illorum fundatione, & peſſeſſione, ad præſcriptum Concilij Tridentini. Cancellarius igitur no-

ſtræ Curiæ proceſſus omnes vniuſcuiuſque patronatus in vnum colliget, quò faciliùs, cum acciderit caſus nouæ præſentationis, cognoſci poſſit, num Beneficium ſit de iure Patronatus? quis ſit legitimus patronus? & an ſint immutatæ leges, redditus, onera, & alia in fundatione appoſita?

Omnibus autem, tàm clericis, quàm laicis, ad quos patronatuum ius ſpectare poteſt, mandamus, vt intra bimeſtre tempus, autographas, aut legitimas exhibeant tabulas fundationis cuiuſuis patronatus regiſtrandas in libro, ſeù regeſto noſtræ curiæ; quia ex iniuria præteritorum cancellariorum, aut patronorũ, pauciſſimi in eadem curia reperiuntur huiuſmodi proceſſus.

Ad vitandas autem fraudes omnes, ſciant Patroni iuxtà prouinciale concilium, & qui ad Beneficia præſentandi ius habent, ſe ſubijci vnà cum præſentato, & electo excommunicationis, & interdicti pœnis, ac priuationis iuris patronatus, ſi quouis modo, & quauis cauſa, vel occaſione ſe ingerant, paciſcantur, cõſequantur, aut quoquomodo retinere præſumant partem, etiam ſi vltrò oblata ſit, in bonis, & fructibus Beneficij: quamobrem redditus omnes, & prouentus Eccleſiæ, vel Cappellarum patroni nullatenus adminiſtrent, aut alia ratione ſe ingerant, aut fructus, vel eorum partem, ſeù etiam prædium, aliaque ſibi retineant, ſed Beneficiato omnia ad Beneficium ſpectantia liberè omninò dimittant; nec minùs

pacifcantur cum præfentatis, vt deindè ad eorum nutum poft aliquod tempus cedant, & renuncient; aliter intelligant fe incurriffe in excommunicationis fententiam Sedi Apoftolicæ referuatam, tanquam Simoniacos, & fiduciarios iuxtà conftitutionem Pij IV. & V; nec ante mortem Beneficiarij de futura præfentatione cum patronis aliquis per fe, vel per aliũ tractare poffit fub pœna inhabilitatis ad Beneficia obtinenda. Ius patronatus nemini referuetur in Cappellis, aut Altaribus abfque noftra licentia gratiș cõcedenda, & nifi competenter fuerint priùs dotata. Dotis autem redditus non fit infrà duodecim aureos, præter alios fex ad cappellæ, feù Altaris conferuationem, aut refectionem affignandos.

Quòd fi aliquarum Miffarum onus perpetuum eidem cappellæ, vel Altari adiectum fuerit, miffas fingulas quindecim affibus, fiuè granis taxamus, prout in capite de celebratione miffarum dictum eft.

CAPVT. XXIII.

De Examinatoribus, Iudicibus, & Teftibus Synodalibus.

VT autem, quæ in Sacro Concilio Tridentino decreta funt circà Parochialem Beneficiorum collationem, fuum fortiantur effectum, fingulis annis in Diœcefana Synodo eligantur faltem fex Examinatores, qui fint Magiftri, vel Doctores, aut in Sa-

cra Theologia, vel Iure canonico licentiati, qui ſtatim ac electi fuerint præſtent iuramentum de benè, & fideliter exercendo ſuo munere.

Eos conuenit pridiè antè concurſum diligenter ſtudere his, ſuper quibus examinare intendunt concurrentes, qui vt plurimùm examinabuntur in Theologia morali, & ſuper Tridentino; an calleant linguam latinã, & ſuper Euangelijs; an ad prædicandum populo poſſint eſse ſufficientes. Examen eorum in libro ſolito deſcribetur per cancellarium noſtrum.

In dandis votis circà electionem concurrentium Deũ ſolum habeant præ oculis, & non ducantur amore, vel odio, aut aliquo humano affectu; ſed magìs idoneum ſemper approbabunt, aliter grauiter peccabunt; tùm quia indignum, vel minùs dignum digniori prætulere, tùm quia Eccleſiam, & populum bono miniſtro priuarunt, vt indignum, aut minùs idoneum præficerent. Ea, quæ contingunt in concurſu circà approbationem, vel reprobationem cõcurrentium, nullatenùs propalent, aliter vt periuri punientur. Et demum iuxtà Tridentini Decretum examinis occaſione nihil prorſus, vel minimum, cuiuſuis muneris, ſiuè mercedis genus, etiam à ſpõtè dantibus, antè, vel poſt accipiant; alioquin tàm ipſi, qui acceperint, quàm qui dederint, tanquam Simoniaci abſolui non poſſint, niſi beneficijs dimiſſis, & ad alia in poſterùm inhabiles reddantur.

Iudices Synodales, quibus ad præſcriptum Conſtitutio-

tionis Bonifacij VIII; & Sacri Concilij Tridentini causæ Ecclesiasticæ spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ erunt in posterùm, nominamus suprascriptos, quorum nomina ad Sanctissimum Dominum Nostrum transmitti volumus, & vbi eorum aliquis abierit, erit in arbitrio nostro cum consilio Capituli alium sufficere intrà annum tantùm, sicut etiam examinatores Synodales.

In testes verò Synodales nominandi, qui præuio iuramento munus suum exercebunt, prout de iure, inuigilabunt in loca, & personas sibi commissas. Eorumque munus erit sedulò inuigilare circà Cleri progressum in bonis moribus, Diuino cultu, & Ecclesiastica disciplina, cœteraque ad mores, vitam, scientiam, ac peritiam rerum Ecclesiasticarum spectantia. Parochos ad animarum curam, studium sacrarum litterarum, Sacramentorum administrationem, prædicationem verbi Dei, residentiam, cœteraque ad eorum munus ritè, ac rectè obeundum necessaria hortari, ac vrgere; inquirere, an Ecclesiæ indigeant reparatione, vel sacra suppellectili: an Administratores rationes reddant, & acceptas pecuniarum quantitates restituerint; an onera Missarum persoluantur; an debitores correspondeant; an dietim in libro annotentur Missæ ad formam tabellæ; an Patroni sese immisceant in administratione bonorum Cappellarum, & Oratoriorum de iure patrona-

natus. Scire satagant, qui sint vsurarij, concubinarij, qui matrimonium contraxerunt in gradibus iure prohibitis, qui viri seorsim ab vxoribus habitent, & qua de causa, qui populorum abusus, & corruptelæ; an pauperes, viduæ, puellæ, orphani, aut infirmi iuuentur ab illis, quibus incumbit onus: an populi benè se gerant cum proprijs Parochis, ac debitum illis honorem deferant: an ieiunia seruent, & à cibis vetitis abstineant: an festa sanctificent, conciones audiant, Ecclesias Parochiales frequentent, decimas soluant, & in Dei seruitio proficiant.

Postremò de his omnibus singulis testes Synodales de necessitatibus singulorum Oppidorum, & Pagorum sibi assignatorum nos doceant per epistolam, vel voce, idque quoties opus fuerit, & saltem bis in quolibet anno, de semestre in semestre, vt de opportunis remedijs, vt maximè possumus, diuina ope prouidere valeamus.

CAPVT. XXIV.

De Archipresbyteris, seù Vicarijs foraneis.

VIcarijs foraneis hæc præcipimus. Primò certiorent Curiam de omni delicto, quàmuis leuis à Clericis commisso, verè, fideliter, & sinè mora; & si illis pro minori subditorum impensa fuerint commissæ informationes, cum omni fidelitate capiant, aliter pœna pro modo culpæ punientur.

Cu-

Curet vlteriùs quilibet Vicarius foraneus ſingulis quindenis diebus in loco ſuæ iuriſdictionis fieri caſuum conſcientiæ collationes, ad quas accedere teneantur omnes Curati, & Sacerdotes ad confeſſiones excipiendas approbati: exceptis tamen menſibus à Iunio vſque ad Octobrem incluſiuè.

Ad has collationes frequentandas Regulares etiam hortamur confeſſarios.

In faciendis impoſitionibus pro oneribus ſpoliorum, procurationis, & alijs ſimilibus Archipresbyteri moneant Clerum, vt Menſe ante diem ſolutionis eligant reſpectiuè Rectores ſuum Deputatum, Sacerdotes alterum, itemque Clerici ſuum, qui ſimul electi cum ijsdem Archipresbyteris poſſint de quota taxæ concordare, & modo exigendi; non excedẽdo ſummam cum Reuerenda Camera Apoſtolica concordatam, nimirùm ducentorum quinquaginta nummorum aureorum ipſi cameræ perſoluendam, ac duodecim nummorum aureorum cum dimidio Subcollectori pro eius mercede, prout in inſtrumento tranſactionis latiùs expreſſum eſt, aliter ſinguli eorum, qui electionem facere neglexerint, tenebuntur in ſolidum de proprio.

Parochis inuigilent, vt munus ſuum diligenter exerceant, in quo, ſi quomodolibet deliquerint, ſtatim nos certiores facient.

Si contra aliquam perſonam Eccleſiaſticam, aut Eccleſiam vis quomodolibet illata fuerit, aut aliquid atten-

tentatum in præiudicium iurisdictionis immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ, statim nos certiores facient, atque omni conatu immunitatem Ecclesiasticam interim tueantur.

Dies festos diligenter seruari curent, & contrauenientes depignorari faciant,& pœnam indè exactam pro tertia parte sibi, & exequutoribus suis applicēt iuxtà Decretum Sacræ Congregationis, vbi verò necessè fuerit pro recolligendis fructibus tempore messis, vindemiæ, vel alterius rei laborare, possint licentiã impartiri, audita priùs missa: sic etiam, quando sit opus vesci cibis Paschalibus, dummodò attestatio medici accesserit, dent licentiam simul cũ Parocho.

Quæstores eleemosynarum absque nostra facultate nõ admittant, & nos certiores faciant. Vbi mors Rectoris Curati in sua Parochia, vel alterius cuiusuis beneficiarij succedat, moneant Curiam ad finē prouidendi: Singulis semestribus de moribus, & vita Clericorum scripto nos doceant. Iidem Clerici sint Vicarijs suis foraneis obedientes.

Cum aliquem occidi, aut vulnerari contingerit; capiant informationem de delicto in genere,ritè, & iuridicè, & statim originalem informationem ad nos tutò mittant, ad hoc vt si aliquis Ecclesiasticus principalis reus, aut complex repertus fuerit patrati homicidij, aut vulneris inflicti, contrà eum legitimè procedi possit, ac debita pœna puniri; Parochis non præcedant in Choro, nec in Ecclesiasticis functionibus,

aut

aut supplicationibus publicis. In funeribus defunctorum, ad quæ vocari contingat alios Clericos, & Sacerdotes, possint ijdem Vicarij foranei accedere,& mercedem iuxtà antiquam locorum consuetudinẽ accipere; non autem præcedentiam super alios Presbyteros habebunt in ecclesiasticis functionibus, nisi fuerint illis ipsi ratione Sacerdotij antiquiores; In locis maritimis, & in oppido S. Ioannis Floriacensis iurisdictionem habeant in ciuilibus vsque ad summã ducatorum sex,nè partes defatigentur ad curiam nostram accedere: Sacerdotibus exteris, nisi fuerint personæ benè cognitæ, nõ permittant celebrare absque nostra licentia in scriptis, quod cum Regularibus etiam obseruare debebunt; nisi legitimas facultates à suis Superioribus Regularibus sibi concessas exhibuerint.

CAPVT. XXV.

De Quæstuarijs.

QVæstuarijs prohibitum est à Sacro Concilio Tridentino eleemosynas petere; & vbi subsit causa rationalibus, facultas fiet illis à nobis iuxtà tenorem Decreti Sacræ Congregationis, & præsertim abstineant à deferendis imaginibus, tabellis, Reliquijs, & tintinnabulis.Inuingilẽt Vicarij foranei,& Rectores, nè cõtrà hoc caput veniatur,aliter ipsi puniẽtur.

CAPVT. XXVI.

De Regularibus.

DE his admonendos censuimus Regulares. Doceant intra mēsem penès acta nostræ Curiæ de conseruatorum electione iuxtà terminos constitutionis Gregorij XV. aliter nouerint Ordinarij iurisditioni se subiacere in litibus, quæ contrà eos mouebuntur.

Regulares, qui in Monasterijs, & Conuentibus huius Ciuitatis, & Diœcesis commorantur, bini incedant, alioquin à Cursoribus Archiepiscopalis nostræ Curiæ capiantur, & ad nos ducantur, transmittendi pro merita pœna ad suos Superiores, quos in Domino hortamur, nè subditos suos per Ciuitatem, & Diœcesis loca solos discursare permittant, nisi in casibus necessitatis quoad conuersos; sed in hoc omninò se accommodent ad voluntatem SS. D. N. Papæ regnantis.

Nec ullo modo audeāt accedere ad Monasteria Monialiū, & Conseruatoria, vel cū his, aut alijs in clausura degentibus sermonē habere, vel litteras scribere, vt in Decreto ex mādato Clemtisē IX. à Sacra Congregatione Concilij edito expressè prohibentur; sciant prætereà, quòd sub quoquis priuilegiorum suorum prætextu ab alio absolui nequaquam possunt, quā ab Ordinario loci.

Vbi verò necessè alloqui Moniales in primo, vel secundo consanguinitatis gradu coniunctas, seruetur ad unguem Decretum aliàs latum de mandato S. M. Vrbani VIII.

Cõfessiones audire nõ possint, nisi præcedẽte nostra approbatione in scriptis, & iuxtà tenorẽ illius; & tunc, nec à casibus, nec à cẽsuris Sedi Apostolicę reseruatis, vel nobis, absoluãt, nisi velint pœnis in constitutione Clementis X. taxatis subijci. Nec minùs sinè nostra licentia Prædicatoris officio fungantur in nostra Diœcesi, nisi ad præscriptum Sacri Concilij Tridẽtini, ac earundem constitutionum Grægorij XV; & Clementis X.

In Ecclesijs Monialium Missas non celebrent, nobis inconsultis.

Insolitas non faciant processiones, & ad eas, quæ de more Ecclesiæ celebrari solent, accedant iuxtà locorum obseruantiam.

Nouitij renuntiationes bonorum ad formam decreti Sacri Cõcilij Tridentini non faciant, nisi intrà duos menses proximos antè professionem, & cum nostra licentia gratis concedenda: & Regulares nihil de bonis Nouitij ante professionem capiant. Vbi initiantur ordinibus sacris per nos conferendis, ratificare debebunt suam professionem coràm nobis, vel generali nostro Vicario.

Quoniam Abbates, alijque Superiores Regulares non possunt benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non

ſubditarum, abrogata contraria conſuetudine à Sacro Rituum Congregatione, niſi ſuper hoc obtineant ab Apoſtolica Sede ſpeciale priuilegium. Ideò ipſos monemus, vt eiusdem Sacrę Congregationis Decretum obſeruent, omnibusque prætereà huius Ciuitatis, & Diœceſis tàm Clericis, quàm in maioribus ordinibus conſtituti, præcipimus, nè paramenta prædicta à Regularibus benedici faciant, ſed quoties opus fuerit, nos adeant; vel Vicarium noſtrum generalem, aut alium ab Apoſtolica Sede huiusmodi facultatem habentem.

Sciant Regulares ſibi non licere ſub prætextu deponendi ſpectantia ad S. Officium, vagari, & extrà Monaſterium manere, ſed debere Epiſcopum loci, ſeù Inquiſitorem, in cuius Diœceſi degunt, adire, & ſi cōtrà fecerint, vel nihil releuās depoſuerint, puniantur pœna à Sacra Congregatione Sancti Officij ſtatuta.

CAPVT. XXVII.

De Monialibus.

CVm mulier innupta, & Virgo, (vt inquit Apoſtolus) cogitet, quæ Domini ſunt, vt ſit Sancta corpore, & ſpiritu; Moniales, quas Dominus Noſter Ieſus Chriſtus ſingulari quadam beneuolentia ſuas eſſe ſponſas voluit, beneuolentiam omnem, ac omnes delicias nulla in re, niſi in vno ſponſó collocare debent, pollicitæ fidei ſemper memores.

San-

Sancimus propterà sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & nobis reseruata, nè quis absque nostra, vel Generalis nostri Vicarij licentia in scriptis, & Abbatissæ consensu, accedat ad colloquendum cum quauis in Clausura commorante, quam pœnam incurrant Moniales etiam, aliæque, quæ in cœnobijs degunt (exceptis primo, & secundo consanguinitatis gradu coniunctis) per crates tamen, vel per rotam, nunquam verò per portam, per confessionarium, vel cōmunicatorium ex decreto Domini Visitatoris Apostolici, aut quemcumque aliū locum, nequè aduētus, & Quadragesimæ tēpore, vel quò recitantur diuina officia, nequè per interpositā personā cum alia inibi præsente; id enim, quia idem esset, ac per se ipsum colloqui; ideò declarauit Sacra Congregatio excommunicationem afficere quoscūque per interpositam personam, etiam Regularem colloquentes, ac etiam Moniales.

Nulla Monialis recipiat, aut scribat, mittatue litteras, nisi priùs ab Abbatissa recognitas, in cuius arbitrio erit illas pro suo zelo aperire, & legere, præterquā illas, quæ proueniunt à consanguineis reciprocè in primo, vel secundo consanguinitatis gradu: sub nomine autem litterarum, seù epistolarum intelligimus quamcumque schedulam, seù chartulam, aut quamcumque aliam rem aptam exprimendo mentis conceptui, etiam nutus, & signa. Qui autem qualemcumque huiusmodi litterarū de rebus turpibus

ad Moniales, aliasuè in clausura degentes miserit, eandem, vt suprà, excommunicationem incurrat, siuè etiam Monialis, & quæuis alia in clausura degens, quæ receperit, aut scripserit eiusmodi nefarias litteras.

Clausuræ ostium non aperiatur, nisi pro immittendis, vel extrahendis ijs rebus, quæ per rotam immitti, vel extrahi nequeunt.

In turnis, seù rotis Monasteriorũ, & Ecclesiarum nullatenus adsint foramina, & si quæ sunt, obturantur, aut ferrea saltem lamina subtiliter perforata cooperiantur, & sic in futurum semper detineantur, si quæ verò Monialis, aut alia in Monasterijs degens hos turnos, seù rotas perforare, aut eadem foramina abstrusa reaperire, vel in alia clausuræ parte, vel loco quomodolibet foramina instruere, aut clausuram quocumque modo lædere ausa fuerit, pœna punietur Decreto Visitatoris Apostolici statuta.

Fiant repagula lignea, seù fenestellæ ligneæ in quolibet turno, seù rota, cuiusuis Monasterij à parte interiori, quæ ferrea sera claudatur vigesima quarta diei hora, & mane orto iam Sole aperiatur, & clauis seruetur ab Abbatissa.

Nemo cuiusuis sexus, vel ætatis septa Monasteriorum ingrediatur absque facultate scripto à nobis concessa, quam, vt in casibus necessarijs, promptè faciemus; sic intraturi in ea recto tramite pergant ad munus suum implendum, præsentibus semper comitatri-

tricibus, ac præcedente alia cum tintinnabulo personante, nec ad alium locum diuertant, nec cum alijs loquantur.

Cum infantes quantumuis paruulos, siuè mares, siuè fœminæ sint, intrà claustra admitti non liceat, caueant propterea Abbatissæ illos introducere, aut ingressum eis permittere.

Sciant introeuntes in Monasteria(quamuis cum licentia extrà casus necessitatis, se, & Moniales ingressum permittentes incurrere in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam.

Nullus Sacerdos, siuè sæcularis, siuè regularis celebret in Ecclesia Monialium, aut aliam functionem Ecclesiasticam inibi exerceat, absque nostra in scriptis licentia, etiam si Cappellaniam habeat in ea, sub pœna suspensionis à diuinis ipso facto, ac nobis reseruata; nec tamen quàmuis licentiam habeat Sacerdos, etiam Cappellanus celebrandi in Ecclesia Monialium, licebit ei loqui cum moniali, aut cum alia intrà clausuram degente.

Pro Regularibus autem, quibus permittitur alloqui Moniales in primo, vel secundo tantùm gradu consanguinitatis, obseruetur Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium negotijs Regularium præpositorum de mandato fæl. record. Vrbani Papæ VIII. editum.

Regulares præterea cuiuscumque ordinis, militiæ, Societatis, Congregationis, & instituti, etiam de quibus

bus specialis mentio foret habenda, sciant se, si ad Monasteria Monialium, quamuis ab Ordinarij iurisdictione quomolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subiecta, vel alia speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo, etiam per quodcumque modicum temporis spatiũ, cum Monialibus, aut alijs intrà clausuram degentibus, peccare mortaliter, & sub excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, alijsque contrà Regulares accedentes sinè licentia ad Monasteria Monialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri.

Operarios, aliosque habentes licentiam ingrediendi in casibus necessarijs, non admittant Abbatissæ, & Ianitrices antè Solis ortum, vel post occasum, nec eos intrà Monasteria cibum sumere permittant.

In Monialium Ecclesijs, Musici, nequè canant, nequè aliud musicum instrumentum tangant, præter organum absque nostra licentia. Et quod prohibemus in Ecclesijs, multò magis vetitũ intelligatur in Atrijs, vel colloquutorijs, vel in quocumque alio loco ad Monasterium pertinenti, vel ei proximo, undè cantus, vel sonus audiri potest, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac nobis reseruatæ, quoad musicos.

Pro musicis autem intelligimus quoscunque cantantes, aut instrumenta musica tangentes, cuiusuis gradus, & conditionis sint.

Si

Si contingerit aliquam educādam nubere, post tres dies à contractis sponsalibus, statim exeat à clausura, & interim sponsus, nec ad Ecclesiam quidèm Monasterij accedat.

Puellæ, antequàm in Monasterium ad educationis titulum, vel ad religiosum suscipiendum habitum admittantur, studiosè obseruent instructiones in appendice descriptas, quas, earum parentes etiam, seù consanguineos, qui illarum curam habent, vt obseruari faciant, hortamur, ac rogamus. Nec tamen ad educationem recipiantur absque licentia Sacræ Congregationis, & consensu Capituli Monialium cogendi, præuia facultate à nobis concedenda. Receptio fiat per secreta suffragia, de qua nobis constare debebit ex scripto Abbatissæ testimonio, vt licentiam puellæ concedere possimus ingrediendi in Monasterium.

Idem obseruandum erit cum illis, quæ religiosum habitum induent, aut solemnem professionem emittent, atque hæ functiones, nempè habitum suscipiendi, aut solemnem emittendi professionem, fiant absque fastu, & pompa, sed, vt decet sponsas Christi. Hæ omninò legere sciant, & quia nonnullas ætate grandes reperimus legendi prorsus ignaras; ita vt Sacram Congregationem adire necesse fuerit, pro dispensatione, vt ad habitum admitterentur, quamuis Choro inutilis, & Sacra Congregatio eas admitti permiserit, dummodo in Capitulis suffragium non

 fer-

ferrent. Ideò ſtrictè præcipimus, tàm educandarum, quàm Nouitiarum præfectis, vt eas legere doceant: in hoc enim diſtinguuntur moniales à Conuerſis, quod illæ Choro pſallendis horis canonicis incumbere debent, hæ verò alijs Monaſterij muneribus vacare.

Puellæ, vt ante ſeptimum ætatis annum expletum in Monaſterium, quàmuis educationis titulo, admitti nequeunt, ita cum Vigeſimum quintum expleuerint debent ſtatim, aut religioſum habitum ſuſcipere, aut è Monaſterio exire: quod ſi poſt vigeſimum quintum ætatis annum expletum, alterutrum facere noluerint, Abatiſſæ nos ſtatim ea de re certiores faciant, ac etiam per menſem antè poſt elapſum Nouitiatus annum. Ad huiuſmodi Puellarum victum quotidianum, annui quadraginta nummi aure præſenti pecunia perſoluantur Monaſterio, prouti mandauit Sacrorum Epiſcoporum Congregatio litteris pro Monaſterijs Monialium Conſentinæ ad nos præcisè datis. Cæteraque omnia ſeruentur, quæ in formula eiuſdem Sacræ Congregationis pro educandis præſcripta ſunt. Subſidium vitalitium vnicuique Moniali quotannis præſtandum à parentibus, alijſue Coniunctis, ſeruetur in arca Depoſitorum cuiuſque Monaſterij, illudque Monialis expendet ad veſtes comparandas, alioſque proprios religioſos vſus, præuia tamen Abbatiſſæ licentia, toties, quoties eo vti opus fuerit. Ex redditibus proindè Monaſterij prohi-

hibentur Abbatiſſæ aliquid erogare Monialibus ad prædictum vſum, ſeù pro veſtiario, ſed redditus omnes in quotidianum Monialibus Educādis, & Conuerſis cibum ſubminiſtrandum, & in alios Monaſterij neceſſarios vſus expendere debent. Idque ab eadē Sacra Congregatione pro Monaſterijs huius Ciuitatis, & Diœceſis peculiariter præſcriptum omninò ſeruari mandamus ab Abbatiſſis præſentibus, & futuris. Non enim par eſt, vt Monialis, quæ pingui, vel ſufficienti fruitur ſubſidio, pecuniam etiam ſingulis quibuſcumque annis ad titulum veſtiarij, & ſtrenæ extorqueat ab Abbatiſſa, quæ initio adminiſtrationis ſuæ, vt quotidianum Monialibus victum ſuppeditet, æs alienum contrahere cogitur, deficientibus in diem Monaſterij redditibus.

Dotis quantitas, prout cuique Monaſterio ſtatuta eſt ita ſoluatur, nempè quadringentorum nummorum aureorum, præterquam pro monaſterijs ſub inuocatione Spiritus Sancti, & Sanctiſſimæ Trinitatis, quibus pro ſingulis puellis trecenti tantum nummi aurei præſcripti ſunt.

Quæ ſuprà numerum præfixum admitti petierint, quàmuis duplicatam dotem ſoluere tenentur. Ex benignitate tamen Sacræ Congregationis indultum eſt, vt dimidiam, nempè ducentos tantum nummos doti ſuperaddere debeant; ſingulæ verò illarum octo, quæ in Monaſterium S. Claræ ſupra numerum triginta duarum vſque ad quadraginta receptæ fuerint,

quinquaginta tantùm nummos aureos persoluant supra solitam dotem.

Numerus in vnoquoque Monasterio à Sacra Congregatione prexfixus non excedatur, quem tamen ad futuram rei memoriam in appendice apposuimus, tùm Choralium, tùm Conuersarum, siuè famularũ, tùm etiam puellarum educandarum.

Dos prætereà persoluenda erit numerata pecunia penès tutum mercatorem à nobis approbatum, sed in Arca Monasterij post emissã professionem deponenda.

Ad tollendam prauam consuetudinem, quæ diù uiguit magno cum monasteriorum incommodo, ac regularis disciplinæ detrimento, nempè, quod puellæ educandæ singulæ pro se vnaqueque priuatim proprio sumptu cibum sumeret, & monasterio annuos viginti quinque nummos aureos solueret pro habitatione: ex peculiari decreto, & mandato Sacræ Congregationis præcipimus, quod puellæ educandæ cibum sumant in communi cum alijs Monialibus, & quod prædicti annui quadraginta nummi aurei, pro earum habitatione, & victu quotidiano assignati, soluantur Monasterio, & Abbatissæ, quæ illas alat, prout cæteras Moniales in Refectorio.

Moniales omnes talarem coloris ordini suo congruentis induant tunicam, sed Conuersæ crassioris panni. Veli insuper gutturalis, vulgò *Succanno*, vsum in quibusdam huius Ciuitatis Monasterijs aliquandiù intermissum, & ex peculiari Sacræ Congregationis man-

mandato restitutum, ac resumptum, à Monialibus omnibus, etiam Conuersis seruari omninò præcipimus. Antedictum verò velum gutturale sit candidū, minimè autem perspicuum, & perlucidum, vulgò *Trasparente*.

Quæ intrà Moniales educantur, iuxtà loci sanctitatem modestas induant vestes à collo vsque ad pedes oblongas, atque ità pectori appressas, vt summa eius pars, aut humeri, nulla pateat, ac pectus cooperiant collotenus: non sericas, aut coloris parū modesti, sed laneas modesti coloris, aut cōformis vestibus moniali ū. Capillos habeāt occipitio super alligatos, nō pendulos antè faciē, aut arte cōpositos. Eisdem prætereà, quibus moniales legibus circà colloquutiones cū ijs, qui sunt extrà claustra: quod enim de educandis dictum est, hoc de Nouitijs, hoc de Monialibus, & Conuersis, etiam sancimus, quibus, vt se ab omni fuco, & corporis ornatu abstineant, mandamus.

Educandæ ab vnica tantùm magistra, capitulaitèr electa, regantur, & locum à Monialibus segregatum habitent, in quo includantur nocte ab earum Magistra, ne inde exire valeant, & per Monasterium vagari. Verum, quia in aliquo è Monasterijs locum non habent à Monialibus diuisum, præcipimus, quod vbi non est locus segregatus pro eis, (donec is construatur) habitare, & dormire debeant apud earum consanguineas proximiores, vel apud magistram, vel seniorem aliquam è monialibus; non enim de-

decet,vt puellæ locum ad ſuum libitum ſibi eligant, vndè exire liberè poſſint, cum velint; neque,vt alijs monialibus iunioribus habitatione, aut lecto iungantur.

Nouitiæ etiam ſub vna magiſtra Regularem doceantur diſciplinam, & completo probationis anno profeſſionem emittant, aut dimittantur è Monaſterio, & per biennium immediatè ſequens,vt in eadem diſciplina magis confirmentur, ſub ipſius magiſtræ, vel alterius Monialis prouectæ ætatis regimine permaneant; & niſi parebunt, careant voce actiua, & paſſiua per dictum biennium.

Viriles veſtes,nec ad ſcœnicos quidē,aut ludicros actus induant, ſiuè Moniales, ſiuè Conuerſæ, ſiuè Educādæ. Canem item nulla alat, nulla habeat,cuiuſuis generis, aut ſexus. Nulla Monialis ratione conſanguinitatis,vel affinitatis cum educanda cubet, neque cum alia Moniali, aut educanda; hoc enim prohibentur educandæ, niſi ſorores ſint.

Libros quoſcumque prophanos amores continentes, aut bonos mores corrumpentes, nec legant, nec detineant.

Famulæ, quæ vulgò, Conuerſæ, vocantur, non admittantur antè ætatem, quæ ad Nouitatum requiritur. Ad earum autem receptionem ſeruetur idem ordo pro educandis præſcriptus. Peracto Nouitatus anno,profeſſionem æquè ac Moniales Chorales ſtatim emittant, aliter expellantur à Monaſterio nobis

ta-

tamen priùs consultis, vt praua tollatur consuetudò, in ijsdem Monasterijs introducta, adhibendi laicas mulieres pro famulatu.

Conuersæ, dum reliquæ Moniales Chorales Horas Canonicas recitant in Choro, Rosarium Deiparæ, aliasque preces submissa voce percurrant ibidem: precationi etiam, ac sacræ lectioni intersint, atque huiusmodi exercitij, nedum non impediantur, sed etiã inuitæ illis vacare cogantur; hoc enim in virtute S. Obedientiæ, ac sub obtestatione diuini iudicij strictè præcipimus Abbatissis, reddituris propterea Deo, & nobis rationem, si proprij muneris partes hac in re implere (prout antea) prætermiserint. Eas prætereà Abbatissæ sedulò laborare pro Monasterio tantùm sinent, nullo modo pro foris commorantibus, ad parandas præsertim quotidianas epulas, quod expressè iterum prohibemus.

Item ad extirpandum detestabilem verberandi Conuersas vsum, moniales omnes, & singulas, ac præsertim Abbatissas, certiores facimus, quod violentas manus quoties illis inijciunt, toties excommunicationem incurrunt, quia Conuersæ sunt personæ Ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio Canonis, quòd si qua in re Conuersæ peccauerint, primum eas Abbatissa fraternè moneat, corrigat, deindè pœnas à Regula decretas, aliasue huiusmodi eis pro modo culpæ cum charitate irrogabit.

Abbatissa regiminis rationem nobis reddat intrà semestre,

ſtre, ſpatium à regimine completo, alioquin vtroque ſuffragio priuetur, donec rationem reddiderit; ſi autẽ ea reddita, aliquam pecuniæ ſummam Monaſterio debere comperta ſit, in Abbatiſſam iterum eligi nequeat, vſque dum pecuniam reſtituat, ac pænas prætereà incurrat à iure decretas.

Expleto adminiſtrationis tempore communibus redditibus recuperandis ſe non ingerat, vt omnia iura clamant, licet ob adminiſtrationem ſit creditrix, aut æs alienum pro Monaſterij neceſſitatibus contraxerit, ſed dati, & accepti computum ſuceſſori Abbatiſſæ fideliter tradat, quæ æs omne alienum diſſoluet. Procurator autem Monaſterij, qui Decretum hoc violauerit, munere priuetur.

Prohibitionem in vltima Synodo factam à b. m. Archiepiſcopo Maurello, vt de eligenda Abbatiſſa nõ loquantur, niſi quindecim antè diebus, quàm electio fiet, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac reſeruata, &c. confirmamus, & in ſuo robore permanere decernimus, quia experimento didicimus, quàm neceſſariò, ac iuſtè facta fuerit, nec in Abbatiſſam eligatur, niſi quæ quadrageſimum ætatis annũ expleuerit, & octauum ſaltem ab emiſſa ſolemni profeſſione.

Ianitrices, ſeù Oſtiariæ, Rotariæ, Comitatrices, & Auſcultatrices ſint prouectæ ætatis, ſaltem ſupra quadraginta annorum expletorum, Sacriſtæ ſupra triginta annorum, itidem expletorum; Rotarijs in virtu-

tute S. Obedientiæ ſtrictè præcipimus, vt nullam, neque educandarum, aut aliarum mulierum intra monaſteriũ degentium, accerſant ad colloquendũ cũ quauis perſona, præterquã primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis cõiuncta; niſi monita priùs Abbatiſſa, & de eius licẽtia; & in colloquutorijs cũ aliqua monialis, aut educanda, aut quæuis alia vocatur ad colloquendum, præſentes ſemper ſint Auſcultatrices, quæ colloquentium perſonarum ſermones omninò audiant, præterquàm primo, & ſecundo conſanguinitatis gradu coniunctarum.

Nulla Monialis, nec Abbatiſſa ſpiritualem propinquitatem cum laicis contrahat. Et Procuratorem ad hunc actum conſtitui prohibemus; ſic etiam Parochum, qui Procuratorem admiſerit, graui pœna puniemus.

Nulla item Monialis, aut Abbatiſſa cuicumque accedenti ad Monaſteria cibum, ſeù prandium in craticibus apponat, aut apponi faciat.

Famulas, quæ extrà Monaſteriũ Monialibus inſeruiũt, & quæ præſertim pãnos lineos abluunt, vulgò *Lauãdare*, iuxtà Decretũ D. Epiſcopi Venuſini Viſitatoris Apoſtolici inſufficiẽtem numerum vnaquæque Abbatiſſa redigat, amotis ſuperfluis: & nonniſi honeſtis, & probis mulieribus vtatur, eaſque, & earum ſingulas nulli moniali, alijque intra Monaſterium degenti priuatim deſeruire patiatur: ſed Choralem vnam Monialem, & duas prouectæ ætatis Conuerſas,

& regularis disciplinæ studiosas, in Capitulo singulis quibusque annis deputet, quæ pannos omnes lineos abluendos qualibet hebdommada colligant, ac famulabus, seù lotricibus tradant, ablutosque recipiant. Mandamus proindè in virtute. S. Obedientiæ, & sub eadem excommunicationis pæna latæ sententiæ, ac nobis reseruata, à prædicto Domino Episcopo Venusino statuta Abbatissis presentibus, & futuris, atque omnibus, & singulis Monialibus educãdis, & Conuersis; vt omni futuro tempore Decretum hoc omninò seruent, ac respectiuè seruari faciant, quam excommunicationis pœnam famulas etiam, seù lotrices ipso facto afficere intendimus, si cuicũque intrà Monasterium commoranti, exceptis Monialibus, & duabus Conuersis deputatis particularẽ famulatum præstent, aut pannos lineos abluant; multum enim refert ad bonam Monialium existimationem, ac Regularis disciplinæ obseruantiam huiusmodi infima conditione, & humili arte Muli-erculas à Monasterijs arcere: quas vtinam Abbatissæ semper arcuissent, & arceant in posterum.

Ad moderandam nimiam pompam in Monialium Monasterijs præcipimus Abbatissis, ac etiam Monialibus singulis, aliena non vtantur suppellectili, nec cuiusuis generis tormẽta explodi, aut machinas extrui faciant ignem iocosè euomentes ad festos dies solemniùs peragendos; prout à Prædecessore nostro laudabilitèr statutum fuit.

In singulis Monialium Ecclesijs alias festiuitates, quã pro Sanctis Titularibus ipsarum Ecclesiarum, siuè Monasteriorum huiusmodi Patronis, & ordinum, quorum illa respectiuè sunt, fundatoribus institui, siuè solemnitèr celebrari prohibemus. Volentes, vt festiuitates huiusmodi celebrentur cum consueto Monialium tantùm cantu, Gregoriano nuncupato, quod peculiari Edicto à nobis promulgato, & à Sacra Congregatione Episcoporum approbato, iterum confirmamus.

Moniales prætereà, dum Sacristæ munere funguntur, aut eiusdem muneris intuitu, nullo ære proprio faciant expensam pro Sacrario; quidquid autem pro Sacrario necesse erit, communibus Monasterij redditibus suppleatur; multùm enim cum faciat Monialis Sacrista, si personalem operam muneri suo sedulò impendat, non est magis prægrauanda.

Sacram, vel prophanam suppellectilem Monasteriorũ, vel Ecclesiæ, exteris, etiam pro seruitio aliarum Ecclesiarum absque nostrà licèntia nunquã cõmodent.

In Ecclesijs Monialium sint tantùm scamna ad sedendũ; sedem verò quamcunque prohibemus. Ecclesiæ fores semper sint clausæ, pateant tantùm manè dum Missæ Sacrificium peragitur: in solemnioribus autẽ festis, cum Vespertinæ etiam horæ Canonicæ cantantur, aut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad quadraginta horarias preces publicè adorandum exponitur.

Cum Concio habetur ad Moniales, Ecclesiæ porta sit subclausa, nemini pateat præterquàm Confessario, & Sacristæ, qui semper concioni intersint. Concio autem præter Aduentus, & Quadragesimæ tempus, singulis etiam quibusque mensibus semel saltem habeatur. Ad Confessarium proindè incumbit, Concionatorem aliquem accersere à nobis ad hoc specialiter approbatum.

Confessarium etiam extraordinarium ter in anno à nobis petere; nempè quindecim diebus antè festum Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI, Paschatis Resurrectionis, & Asśuptionis B. MARIAE VIRGINIS; & ipse interim cessare debet ordinarius ab audiendis confessionibus.

Communicatorij, & Confessionarij fenestellæ, quibus Sacrosanctæ Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramenta ministrantur monialibus, ac depositorij, in quo sacra olea seruantur, clausæ semper sint, earumque claues apud se detineat Confessarius ordinarius, & clauem etiam tabernaculi, Sacramentum præterea Sanctissimæ Eucharistiæ Monialibus ab alio Sacerdote nunquam ministrari sinet.

Confessarius quoties Monasterium ingreditur, sacramenta ministraturus infirmis, superpelliceum cum stola semper induat, deductus à Comitatricibus, aliaque, quæ præcedat cum tintinnabulo personante. Sacrificales vestes pro Ecclesijs Monialium à nobis solum benedicantur, aut ab eo, cui huiusmodi mu-

nus

nus à Sede Apoſtolica demandatum eſt: nunquam verò à Regularibus.

Confeſſarij victum in diem nō recipiant à Monaſterio, ſed ſtipendium preſtari ſolitum.

Sacrario Præfectæ tantùm liceat Sacriſtam alloqui per Cratem Communicatorij pro rebus ad eius officium ſpectantibus. Idque quàm breuiſſimè, quando per Crates ordinarias non poſſit.

Nulla Monialis, aliáue intra Monaſterium degens, in faſtigium turris campanariæ, ſiuè campanilis aſcendat ad pulſandas manu campanas, quæ funibus faciliùs, & honeſtiùs pulſantur: & nè pateant Moniales, ſiuè Conuerſæ obtutui expoſitæ illorum, qui domos Monaſterijs viciniores inhabitant, Pœnam proindè excommunicationis latæ ſententiæ, ac nobis reſeruatam à Domino Epiſcopo Venus. Viſitatore Apoſtolico pro hac cauſa impoſitam, confirmamus.

Duæ famulæ, ſeù Conuerſæ, quibus vna Monialis Præſit, valetudinario quolibet anno deputetur, quæ infirmarum curam ſedulò habeant, in qua, ſi deſidioſè ſe geſſerint, Abbatiſſæ pro modo culpæ, grauibus eas pœnis afficiant. Abbatiſſis verò, ac Vicarijs in virtute S. Obedientiæ ſtrictè præcipimus, vt prædictas Conuerſas ad id muneris deputent, atque ad illud diligenter obeundum vrgere non prætermittant: circa enim infirmarum curam multum peccare Abbatiſſas, quæruntur Moniales omnes; cumque præcipuum ſit Abbatiſſæ munus inuigilare, vt infirmis

ne-

necessarium non desit ministerium; ideò in hoc sũmoperè incumbent. Turpè enim est in Monasterijs Monialium id non præstari, quod, nè in Hospitalibus quidem domibus cuiuis non denegatur pauperi.

Cappellanos pro missis celebrandis Moniales priuatim non habeant, sed omnes à communitate Monasterij, eiusque Abbatissa stipendium: quod si aliqua Monialis, aut educanda pro sua deuotione voluerit Missas celebrari facere, Abbatissæ pecuniam tradat, quæ de nostra licentia alium Cappellanum supranumerariũ deputabit.

Nullus in procuratorem Monasterij, siuè ad exigendum, siuè ad lites, eligatur, nec de rebus ad Monasterium publicè, vel priuatim pertinentibus, priusquàm fuerit à nobis approbatus.

Notarij prætereà, siuè Apostolica, siuè Regia authoritate creati, si quoduis instrumentum, vel priuatam scripturam de rebus ad monasteria Monialium, aut qualemcumque actum confecerint, aut qualemcumque scripturam, tùm publicam, tũ priuatam à quauis intrà claustra degente subscriptam, absque præcedente nostra licentia in scriptis, authenticam fecerint, vel ei se subscripserint, alijque complices, excommunicationem æquè incurrant, ac si cum Monialibus loquerentur absque nostra licentia, vt supra dictum est numero primo huius capitis.

In eandem pœnam incurrant surripientes, vel quomodolibet sumentes quauis ex causa absque nostra in scrip-

ſcriptis licentia, quamcumque pecuniarum quantitatem ex arca depoſiti, quæ ſeruatur in quolibet Monaſterio, ſiuè Abbatiſſa ſit, ſiuè quæuis alia Monialis Conuerſa, vel famula, vel educanda, nec non cõplices, conſilium, aut fauorem dantes, aut eandem pecuniam participantes, ſiuè Eccleſiaſtici, ſiuè laici, cuiuſuis ſexus, gradus, & conditionis.

Mãdamus etiam Abbatiſſis, alijſque tùm Monialibus, tùm Conuerſis, & Educandis, nè libros, in quibus deſcripti ſunt redditus, & prouentus Monaſteriorum, nec non Protocolla, ſeù inſtrumenta, & quaſcumque ſcripturas alias ad Monaſterium, & Monialis pertinentes extrahant, aut extrahi faciant è Monaſterijs, nobis inconſultis; qui verò, ſiuè Procurator, ſiuè quiuis alius prædictos libros, aut illorum aliquẽ, aut quamcumque ſcripturam accipiet, ac foràs extrahet à Monaſterio, ſiuè per ſe, ſiuè per alium, vterque excommunicationem latæ ſententiæ, nobis reſeruatam incurrat: plures enim libri, & publicæ ſcripturæ, maximo cum Monaſteriorum detrimento deperditæ ſunt, imprudentia, vel incuria Monialium, & fraude, doloque Procuratorum, miniſtrorum aliorumque eas circumuenientium.

Quæ de Monialibus hucuſque dicta ſunt, intelligenda ſunt de omnibus tàm Educandis, quàm Conuerſis, ac de ipſis etiam Abbatiſſis, in ijs, quæ eiſdem congruere poſſunt. Quæ de Monialium Monaſterijs, accommodanda etiam Conſeruatorijs, ſeù pijs domibus,

bus, si ad hæc aptari queant, Et quæ tandem de Abbatissis, obseruanda sunt à quacumque Superiore earum, quæ vitam degunt intrà septa Monasterij.

CAPVT. XXVIII.

De Administratoribus Hospitalium, Montis Pietatis, Confraternitatum, & aliorum locorum piorum.

CVm, præpostero ordine seruato, temporalia bona Ecclesiarum, aut piorum locorum minori, quàm par est, cura custodiantur, quamuis diuini cultus adiumento, ac pijs vsibus assignata. Nos pro viribus nostris magno huic incommodo consulere volentes, vndè magna Dei, & si bonorum nostrorũ non egeat, existit iniuria. Pia enim voluntate eiusmodi rerum omnium in eum fuit translatum dominium, à quo sumpsit exordium; quare ijs, qui eisdẽ bonis administrandis, ac procurandis pręficiuntur, hęc omninò iniungimus.

In Administratores Ecclesiarum Hospitalium, Montiũ Pietatis, Confraternitatum, aut cuiusuis loci pij, eligantur viri probi, religiosi, & prudentes, qui non sint eis debitores, aut causam litis, aut quodcumque interesse cum eis habeant. Electio fiat ab ijs, quibus ius est. Bona prędictorum locorum fideliter administrent, atque omni studio, conatu, & contentione sata-

ſatagant, ne occupentur, vſurpentur, aut depereant. Regulas, & ſtatuta cuiuscumque loci pij reſpectiuè fideliter ſeruent, ſumptus inutiles non faciant, ſed redditus in neceſſarios vſus, & in ea opera, quibus ſunt additi, erogent.

Bona quæcumque, ſiuè mobilia, ſiuè immobilia, non alienent, ſeù diſtrahant, & ſi quæ ſunt alienata recuperent, cenſus perpetuos, & irredimibiles non extinguant; pecunias verò ex cenſibus redimibilibus, quos debitores diſſoluent in nouam emptionem nō vertant, nec cenſui dent abſque legitima facultate ſub pœna excommunicationis latę ſentētię nobis reſeruatę, quam pœnam incurrant etiam contrahentes, & Notarij, qui ſcripturas confecerint. Rationes adminiſtrationis quotannis reddant ad præſcriptum Sacro Concilio Tridentino, nec denuò in Adminiſtratores elegi, aut confirmari poſſint, niſi redditis prius rationibus, & legitimè liberati, quòd ſi debitores reperti fuerint, excommunicationis item latę ſententię pœnam à Domino Archiepiſcopo Maurello impoſitam, incurrant, niſi intrà ſex menſes integrè reſtituerint; quæ pœna extenditur etiam ad illos maximè, qui vſque ad hoc tempus quaſcunque pecuniarum quantitates, quas ratione adminiſtrationis cęperunt, aut quæcumque bona, vel ſcripturas antedictorum locorum quomodolibet iniuſtè detinent.

CAPVT. XXIX.

De bonis Ecclesiæ non alienandis.

OMnes, & singuli quocumq; titulo possidentes, vel administrantes bona Ecclesiastica, vel ad quosuis vsus assignata, siuè Ecclesiastici sint, siuè laici, si illa vsurpent, aut vsurpari consentiant, vel permittant, sciant, se pœna Excõmunicationis latæ sententiæ sanctæ Sedi Apostolicæ reseruatæ incurrere, quam pœnam incurrũt etiam si prædictæ bona quomodolibet alienent, absq; legitima facultate, qua tamen interueniente in quocunq; cõtractu emptionis, venditionis, pignorationis, census, aut cuiusuis alienationis, sẽper expressa fiat mentio oneris, quod dictis bonis est adiectũ, siuè sit pro celebratione Missarum, siuè pro quocunque pio opere: nec non quantitatis pecuniæ, vel annui redditus debiti pro eo onere temporis solutionis, ac etiam Ecclesiæ, Capellæ, Oratorij, Beneficij, Legati, vel loci pij, de cuius interesse agitur.

Cum sacras res diuino cultui dicatas, ac bona pretiosa mobilia alienare, aut pignori dare, quauis vrgente necessitate, non liceat, neq; deceat, qui tamen non desunt, qui de facto eas commodant, alienant, & pignori dant, absq; vlla licentia. Ideò sciant se eandem excommunicationem supra numero 5. in hoc eodem capite indicatam incurrere.

Com-

Commissarij, aut Delegati ad cognoscendum, an alienationes rerum Ecclesiæ cedant in euidentem ipsius Ecclesiæ vtilitatem, si amore, timore, pecunia, aut quacũq; alia causa fraudem fecerint in præiudicium Ecclesiæ in eandem excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatam incidunt, quam pœnam etiam incurrunt partes, & quicunq; huiusmodi alienationes in sui fauorem quomodolibet obtinuerint, nec non mandantes, consultores, & qualemcunq; opem præstantes, ac etiam testes, qui falsum in præiudicium Ecclesiæ deposuerint, & nihilominus ad restitutionem tenentur.

Neq; ab his solùm abstinere se debent possessores, & Administratores bonorum Ecclesiasticorum, sed etiam omni conatu, & diligentia conseruare tenentur omnia iura, & bona Ecclesiastica, & in locationibus, siuè domorum siuè aliorum bonorum immobilium rogare facere publicos Notarios, qui locationum predictarum actus in commentarium referant describendo in eis cõfinia, & alia, quæ indemnitati Ecclesiarum, & locorum piorum magis conducere possunt, & omnem adhibere diligentiam, ne bona Ecclesiastica vsurpẽtur, & vt, quæ vsurpata iam sunt, restituantur.

Bonorum Ecclesiæ locatio, nec ad breuissimũ quidem tempus fiat, nisi Notarij instrumentum locationis confecerint.

Monemus omnes, & singulos cuiuslibet ætatis, sexus,

gradus,& conditionis,qui bona immobilia,aut mobilia,contractus, instrumenta, processus, scripturas, iura,census, quamcunq;pecuniarum quantitatem, aut quamlibet rem aliam ad nostram mensam, vel Curiam, vel Metropolitanam, aut alias Ecclesias, Monasteria, & alia quæcunq; loca pia nostræ Diœcesis spectantem,iniustè detinent, quatenus intra sex mensium spatium à die publicationis presentis Decreti,debitam faciant restitutionem ,alioquin dicto termino elapso excommunicationem latæ sententiæ incurrant, cuius absolutionem nobis reseruamus,& excommunicati censeantur, prout presenti Decreto excommunicati iam nunc pro tunc declarantur, & nihilominus,vt à nefario hoc sacrilegio deterreantur huiusmodi criminis consci), Parochis singulis nostræ Diœcesis præcipimus, vt semel quolibet anno in festiuitate Circumcisionis D.N. Iesu Christi, cum populus frequentior est in Ecclesia,Decretū hoc publicēt vernacula lingua, vt ab omnibus intelligatur.

CAPVT. XXX.

De Festis seruandis.

PRęceptum de piè, sanctèque colendis festis, & abstinendo ab omni opere seruili, præceptum Domini est, & proprio digito Dei in prima Decalogi tabula exaratum; idcircò cōuenit, vt Christianus popu-

pulus enixè incumbat ad illius obseruantiam, ob quā hæc breuiter duximus statuenda. Nullus ergò à media nocte præcedente festum, vsque ad mediam noctem sequentem eiusdem, opera seruilia exerceat, à quibus si non abstineat, pœnam ad pærscriptum Bullæ Pij Quinti subibit.

In diebus festis prohibentur prçtereà choreę, ludi, comediæ, & inania spectacula manè saltem, obæratos, seù ære alieno laborantes in carcerem conijcere, vel eorum bona per satellites apprehendi, publicas tabulas conficere, & contractus: par enim non est, vt dum ad Deum accurritur ab hominibus timeatur. Item omnis iudicialis strepitus conquiescat, neç iuramenta præstentur, & omnia seruilia, ac mecanica cessent.

Tolerantur autem in ijsdem festis propter necessitatē messes, vindemiæ, sata, ac sericū, atque ita frondes colligere pro bombycibus fructus, & niuem, aliaque ad quotidianum victum necessaria, cum animalibus deferre, onera quæcumque super humeros asportare, dummodo antè hæc opera missæ intersint. Comestibilia vendi permittuntur. Molendina modò prius Molitores Sacrum audiant; sic etiam toleramus Aromatarios, Pistores, fabros ferrarios pro aptandis soleis ad equos, et mulos, Barbitonsores pro sanguine emittendo, aut medendo, et caupones, sed in casibus necessitatis, vel publicè vtilitatis semper à nobis, vel à Vicarijs foraneis, aut Parochis ob-

obtineatur facultas, per operarios, gratis præstanda, quæ omnia non nisi post prandium, aut saltem post auditam Missam permittantur.

Quoniam autem praua consuetudo, quæ diù viguit, nempè vt puellæ nobiles, aliæq; ac præterea Viduæ Missæ sacrificio diebus Dominicis, alijsq; festis de præcepto, non intersint, ratione consuetudinis, cæpit iam aboleri, ac Deo iuuante omninò destruendam fore speramus. Ideò Parochis strictè præcipimus, vt subditos suos publicè, ac priuatim hortari, ac monere non prætermittant. Parentes etiam hortamur, ac monemus, vt puellas Nobiles, aliasq; ac mulieres omnes à Missæ sacrificio audiendo non impediant; sed illas, etiam inuitas, ad id cogant. Idemq; curabunt Parochi, vt viduæ (intra annum etiam luctus) faciant. Experimento enim planè compertum est, Parochorum monitiones in aliquibus locis plurimum valuisse ad huiusmodi detestabilem consuetudinem extirpandam.

Nec satis erit ad legis obseruantiam ab operibus seruilibus se abstinere, nisi aliquod temporis spatium in Dei seruitium impendatur, & præsertim in audiendo Sacro in Parochiali propria Ecclesia, vt ibi, quæ sibi expediant ad animæ salutem, circa tempora ieiuniorum, detegenda impedimenta matrimonij, festorum notitiam, & verbum Dei audiendum possint fideles instrui, & doceri. Et ab audiendo Missæ sacro nemo doli capax est exemptus, seù immunis,

Vt

Vt verò sciri possint festi dies de præcepto, Index subsequens apponitur pro nostra Diœcesi, qui in albo Ecclesiarum pendeat.

IANVARIVS.

1. Circumcisionis Domini.
6. Epiphania eiusdem.

FEBRVARIVS.

2. Purificationis B. Mariæ Virginis.
24. Sancti Matthiæ Apostoli.

MARTIVS.

19. Sancti Iosephi Sponsi B. M. V.
25. Annunciationis B. M. V.

APRILIS.

2. Sancti Francisci de Paula Prouinciæ Protectoris, & Ciuitatis Patroni.

MAIVS.

2. SS. Philippi, & Iacobi Apostolorum.
3. Inuentionis Sanctæ Crucis.

IVNIVS.

24. Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.
29. S.S. Petri, & Pauli Apostolorum.

IVLIVS.

25. Sancti Iacobi Maioris Apostoli.
26. S. Annæ Matris B. M. V.

AVGVSTVS.

4. S. Dominici Regni Protectoris minus Principalis.
10. S. Laurentij Martyris.
15. Assumptionis B. M. Virginis.
25. S. Bartholomęi Apostoli.

SEPTEMBER.

8. Natiuitatis B. Marię Virginis.
19. S. Ianuarij Martyris præcipui Regni Patroni.
21. S. Matthęi Apostoli.
29. Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

OCTOBER.

28. S.S. Simonis, & Iudæ Apostolorum.

NOVEMBER.

1. Omnium Sanctorum.
30. S. Andreę Apostoli.

DECEMBER.

8. Immaculatę Conceptionis B.M.V. in Ciuitate
21. S. Thomę Apostoli.
25. Natiuitatis D.N. IESV CHRISTI.
26. Sancti Stephani Prothomartyris.
27. S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.
28. S.S. Innocentium.
31. S. Siluestri Papæ.

FESTA MOBILIA.

Dominicæ omnes per annum.
Pascha Resurrectionis Domini cum duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Festum Corporis Christi.
Sancti Patroni in proprio Oppido, aut Pago.

EX DEVOTIONE.

Feria IV. ad Cineres vsque ad prandium.

Feria V. in Cœna Domini vsque ad prandium.
In Archiepiſcopali Tribunali alia feſta non ſeruantur, quàm ea, quæ ſunt de præcepto Eccleſiæ, & à die Natiuitatis Domini, vſque ad Epiphaniam, & à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicã in Albis.

CAPVT. XXXI.

De Ieiuniorum obſeruantia.

Corporali ieiunio, vt canit Eccleſia, Deus vitia comprimit, mentes eleuat noſtras, virtutem largitur, & præmia. Ratio ergò poſtulat, vt omnes ieiunent, non ſolum ab eſcis, verum etiam à vitijs, & peccatis. Ieiunium ſeruare tenentur, qui vigeſimum primum expleuerint annum, præterquam ſi aliqua infirmitate impediantur, aut ſexageſimum exceſſerint annum. Quadere quiſque Confeſſarium ſuum conſulat, & ad inſtar feſtorum, tempus ieiunij currit à media nocte vſque ad mediam noctem; quo tempore abſtinendum eſt ab omnibus eſcis carnalibus, & cæteris omnibus, quæ inde ſementiam habent originem. Quæ omnia prohibentur etiam diebus Dominicis Quadrageſimæ, licèt his ieiunare non teneatur populus.

Cum autem vetentur fideles Quadrageſimæ tempore carnibus veſci; dedecet eas venales publicè exponi: eas proindè Macellarij intrà macellum teneãt, & nul-

& nullatenus vendant, nisi ijs, qui licentiam in scriptis exhibuerint. Hanc verò licentiam cibos Paschales edendi non denegamus illis, qui iustam habent causam ex Medicorum attestatione, quibus in virtute S. Obedientiæ præcipimus, vt in attestationibus faciendis non sint faciles, & vt aliorum corpora iuuent, eorum, ac suas conscientias onerent; qui in Diœcesi commorantur, licentiam à proprijs Vicarijs foraneis, & Parochis petent; qui verò in hac Ciuitate à Vicario Generali, & vno ex Deputatis. Vt verò omnibus innotescant dies ieiuniorum, & alij, in quibus abstinendum sit à carnibus, ouis, & lacticinijs, sequens declarabit Index, qui proindè in peculiari tabella transcriptus pendeat in Sacristijs omnium Ecclesiarum Parochialium, Nobis cum Kalendario festorum ostendendus, tempore sanctæ visitationis.

INDEX.

Dies omnes à feria IV. Cinerum, vsque ad Sabbatum Sanctum inclusiuè.

Feria IV. VI. & Sabbata quatuor temporũ per annum, videlicèt post Dominicam primam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis S. Crucis, & post Dominicam tertiam Aduentus.

Vigiliæ S. Matthæi Apostoli.

Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.

SS. Petri, & Pauli Apostolorum.

Sanĉti Iacobi Maioris.
Sanĉti Laurentij.
Assumptionis B. M. V.
S. Bartholomæi Apostoli.
Sanĉtorum Simonis, & Iudæ Apostolorum.
Omnium Sanĉtorum.
Sanĉti Andreæ Apostoli.
Natiuitatis Domini, & Pentecostes;

Quæ si incidant in Dominicam, ieiunandum erit Sabbato præcedenti, vti etiam si Vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ incidat in diem festum Corporis Christi feria IV. antecedenti erit ieiunandum.

Esus carnium prohibetur feria sexta, & sabbato cuiuslibet hebdomadæ, & si in alterutro eorum dierum festum Natiuitatis Domini inciderit, ex peculiari Ecclesiæ priuilegio carnibus vesci licet, nisi voto speciali fuerit aliquis astriĉtus: quemadmodum etiam consuetudine receptum est duplum ientaculum accipere in Vigilia eiusdem Domini Natiuitatis. Vigilia Sanĉtiss. Conceptionis Boll. V. seruatur in hac Ciuitate ex voto; non desinant ergò Parochi prædiĉtos ieiuniorum dies populis debito tempore inter Missarum solemnia denunciare.



Ra-

CAPVT. XXXII.

De Foro Archiepiscopali.

RAtio postulat, vt post leges cæteris datas, Fori etiam nostri Archiepiscopalis ministris, nempè Vicarijs, Actuarijs, & scribis, aliæ præscribantur, quas inuiolabiliter seruari mandamus. Vicarius ergò noster Generalis munus sibi iniunctum antequam exercere incipiat, iurabit, se fideliter illud administraturum, & taxam Innocentianam, & Curiæ seruabit, & seruari faciet omninò.

Attestationes, seù approbationes pro obtinendis Canonicatibus, aut beneficijs, siuè curatis, siuè absque animarum cura, litteræ etiam dimissoriæ causa absentiæ non dentur, nisi à nobis tantùm, & nobis absentibus à Generali nostro Vicario, si hæc facultas specialiter ei demandata fuerit.

Attestationes item de statu libero nullæ fiant; sed illas petentibus detur integrum exemplar informationis, seù inquisitionis factæ, vt clariùs pateat status liber, gratis tamen, & in authentica, & legali forma.

In ciuilibus autem causis, semper ante, & post prandium competenti hora audiat Vicarius litigãtes, & si causæ fuerint alimentorum, mercedum, pensionum domorum, executionum, aut alia huiusmodi, quæ moram nõ patiuntur; atque earum omnium, quæ summa ducatorum viginti non excedunt, summariè, simpli-

pliciter,& de plano sola rei veritate inspecta definiat absque figura iudicij, nisi causæ cognitio requiratur. In cœteris autem causis, quæ via ordinaria tractandæ erunt, studeant paterno consilio partes ad concordiam trahere; & vbi renuant, de iustitia prouideat.

Monitoria ad finem habendi reuelationes non concedantur, nisi bona, quæ postulantur, ascendant ad valorem duodecim saltem aureorum.

Pœnæ, & mulctæ deponantur pœnes tutam personam Ecclesiasticam à Nobis deputandam, quæ eas fideliter describat, reddituræ earum rationem ad præscriptum Sac. Concilij Tridentini.

Dietæ pro capienda informatione soluantur ab Actore, vel fisco repetendæ à reo postquam constiterit de delicto, & reus ipse contumax reputatus fuerit.

Ad pœnam pecuniariam nemo damnetur, aut ad transactionem commissi criminis admittatur, nisi reus eam sponte obtulerit post peractas defensiones, et non antea, ac ser. de iure ser.

Pecuniarum quantitates, pro quacunque causa, siuè à litigantibus, siuè à debitoribus Ecclesiarum, & Cappellarum, & locorum piorum deponantur, & seruetur in Arca Montis Pietatis huius Ciuitatis, donec prouideatur, quid de illis faciendum sit. Canonici Administratores dicti Montis depositas pecunias in librum referant, de eis rationem reddituri.

Taxa Innocentiana seruetur ad vnguem, & non amouea-

ueatur à Cancellaria, vbi eam exponi fecimus iam inde ab eiusdem promulgatione. Tabella etiam, seù Taxa antiqua nostræ Curiæ pro causis ciuilibus, & criminalibus in publico pendeat, vt ab omnibus seruetur.

Decretum à Domino Episcopo Venusino Visitatore Apostolico editum, ac etiam in Synodo à Domino bon. mem. Archiepiscopo Maurello de procedendo contra delinquentes in causis cirminalibus, iuxtà stylum Romanæ Curiæ, citationes, monitiones, seù monitoria relaxando, nedum sub pecuniaria pœna, sed etiam in subsidium excommunicationis, & aliarum pœnarũ Ecclesiasticarũ, & de eosdem deliquentes condemnando in contumaciam in causis grauioribus, ac de sententia executioni demandanda, si elapso anno non comparuerint, iuxtà Constitutionẽ Pij IV. confirmamus, approbamus, & seruari mandamus.

In scripturis, quæ præsentantur in Curia penès acta quarumlibet causarum, annotet Cancellarius, seù Scriba diem, & nomen illius, per quem scripturæ præsentatæ sunt per extensũ, non autẽ per numeros.

Contumacias quoque accusatas, ac dies, quibus accusantur, per extensum, & per litteras alphabeticas, nõ per numeros, clarè scribat, & notificet Promotori fiscali.

Seruientium, seù Cursorum nostræ Curiæ relationes nullam faciant fidem, nisi fuerint scriptæ propia ipsorum

sorum Cursorum manu, uel ipsis scribere nescientibus, manu alicuius publici Notarij, vel nostri ordinarij Cancellarij, ac etiam Archipresbiteri, seù Vicarii foranei illius loci, in quo scriptura notificata, & intimata fuerit. Idque ad tollendas, & vitandas fraudes, & falsitates, quas semel accidisse compertum est nobis.

Actuarij, seù Notarij, & Scribæ in nostro foro non admittantur, nisi bonæ famæ, & probatæ vitæ, & in suo munere periti. Idoneam præstent fideiussionem, aut saltem iuratoriam de fideliter, ac diligenter seruiendo, & secretum seruando in quibuscunque rebus, ac præsertim in formandis inquisitionibus, agitandis, aut expediendis causis, secretis Curiæ seruādis, processibus informationum non detegendis, & singulis ad eorum munus spectantibus, quacunque fraude, collusione, extorsione, ac personarum acceptione cessante, præstandis.

Eandem fideiussionem præstet carcerum custos, de ijs omnibus, quæ ad munus suum pertinent.

Promotor fiscalis simpliciter iuret de munere fideliter exercendo.

Vt autem Archiuij nostri scripturæ benè asseruentur, sancimus, quod duo ex Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ, vel Clero Ciuitatis, aut alij fide digni, ac versati in inuentarijs conficiendis, à nobis deputandi, diligenter scripturas perquirant, in ordinem redigant, & suis locis distinctè reponant; acta criminalia

seor-

seorsim à ciuilibus; sic etiam, quæ ad Tribunal S. Officij, Ecclesiasticam immunitatem, & beneficia pertinent, & ad Matrimoniorum contractus, quæ omnia in libro magistrali per alphabetum describāt, & plenum inuentarium conficiant, cuius originale remaneat, & seruetur in Curia; exemplar verò penès nos, & in principio cuiuslibet anni nouum inuentarium fiat, in quo registrentur processus omnes anni præcedentis. Archiuij claues detineantur ab Archiuario à nobis deputando, qui fide iubebit de eo fideliter custodiendo.

Processus causarum, & scripturas quascunq; ad Curiam spectantes penès se in curia retineat Cancellarius, nunquam domi, nec partibus litigantibus, sed earum Procuratoribus tantùm, de licentia tamen generalis nostri Vicarij, eas tradat, & tunc illos proprio caractere scribere faciat in peculiari libro ad hunc effectum deputato; qui processus, vel scripturas accipiūt, cum commeratione foliorum: eundemq; librum bis in mense Cancellarius recognoscet, vt ipsorum processuum, & scripturarum congruò tempore non restitutarum, restitutioni incumbat. In quorum singulis si defecerit, & in recognitione processuum, & scripturarum cum restituuntur, & deindè aliquod folium deesse, aut vitium compertum fuerit, ipsi Cācellario imputabitur, ac pœnas luet, nisi de sua innocentia constare fecerit. Processus igitur cum diligentia, & cum particulari cuiuslibet actus descrip-

tione in margine,bene ſutos, ac per numerum folio-rum,ſeù paginarum diſtinctos,ſedulò ordinet, & diſponat. Proceſſus, ſeù quæuis ſcriptura alia,non extrahantur ab Archiuio, ſeù à Curia abſque noſtra licentia gratis, & et in ſcriptis concedenda;non comprehenduntur autem in hac prohibitione proceſſus illi,qui actitantur in diem inter partes, & quorum pendet lis,ſed hi Procuratoribus, fide dignis,quoties opus fuerit,tradantur, præuia apoca de recepto, nec diù eos à dictis Procuratoribus detineri finat Cancellarius; multi enim amiſſi ſunt in curia,ſiuè Cancellariorum,ſiuè malitia litigantium.

Acta etiam,ſiuè ciuilia,ſiuè criminalia, aut quæcunque, alia ſcriptura ad Romanam curiam non traſmittantur,nobis inconſultis. Animaduertat proindè Cancellarius,& quiuis alius noſtræ curiæ Miniſter, quòd ſi in hoc deliquerit,graui pœna punietur, & officio priuabitur: Librum Cancellarius penès ſe detineat, in quo cum quis in carcerem noſtræ, vel alterius curiæ de mandato noſtro detrudetur, diem carcerationis,& illius cauſam,nec non diem, quo è carcere cōdennatus,vel abſolutus, vel ſub cautione, aut alio modo fuerit dimiſſus, deſcribat, ac pœnam etiam, qua damnatus fuit.

Conſimilem librum habeat carcerum cuſtos, in quo notentur etiam,qui pro ære alieno in carceribus detinentur; atque hic liber fiat ab alio Scriba, ſi carcerum cuſtos ſcribere neſciat.

Surri-

Surripientes,subtrahentes,comburentes, vel supprimẽtes processus,acta criminalia, aut quascunque scripturas,siuè ad curiam, siuè ad Cancellariam Archiepiscopalem quomodolibet spectantes, sciant, se dignitate, officio,beneficio priuatos esse, & inhabiles ad ea in posterum reddi. Notarios verò, seù Cancellarios,& scribas, qui in prædictis deliquerint pœnam falsi incurrere ex constitutione B. Pij V. 6. Martij 1571. edita.

Cancellarij,& Scribæ diebus non feriatis mane, & vespere assistent in curia; diebus verò feriatis aliquis eorum in Archiepiscopali nostro Palatio: alioquin officio priuabuntur.

Qui in ministrum aliquem nostræ Curiæ ordinarium, vel extraordinarium,vel delegatum,ac etiam cursores,seù seruientes, vel in aliquem ex Vicarijs foraneis,aut Parochis huius Ciuitatis,& Diœcesis cõtumelias,iniurias,vel alio prauo modo intuitu suorum officiorum intulerit, aut impedimentum aliquod creauerit, quo minùs Ecclesiastica nostra iurisdictio suam exequutionem habere potuerit, excommunicationem in Bulla cœnæ Domnini die legi consueta contentam,incurrit.

CONCLVSIO.

DEcernimus etiam, vt, vbi hæ nostræ Synodales constitutiones promulgatæ fuerint, intra menses duos,omnes,& singulos, quos tangunt, afficiant,

ac si personaliter, & singulariter singulis intimatæ, ac notificatæ fuissent.

Quidquid autem Prædecessores nostri Archiepiscopi in eorum Synodis ad Cleri, & populi ædificationē, & normam sanxerunt, nō tamen quoad pœnas ipsis contentas in suo robore, & firmitate relinquimus, quatenus Summorum Pontificium cōstitutionibus Decretis Sac.Cōgreg.& his nostris nō aduersantur.

Et si quam fortè dubitationem, aut difficultatem in hismet constitutionibus suboriri contingerit, eius explicationem nobis reseruamus.

Postremò, quia eas inuiolabiliter obseruari intēdimus, mandamus omnibus,& singulis, tàm curam animarum gerentibus, quàm Confessarijs, alijsque omnibus, ad quos spectat specialiter prædicta, quæ decreta sunt, memoriæ tenere; vt librum Synodalium constitutionum impressum, quamprimùm habere satagant, & assiduè perlegant: vt sciant, quid sibi faciendum, quidue fugiendum sit, & vt interrogatus quilibet eorum possit in promptu respondere.

Hæc, quæ ad maiorem Dei gloriam, Ecclesiasticæ disciplinæ instaurationem,& spiritualem Vniuersæ Diœcesis profectum statuenda duximus, seruanda proponimus: salua tamen Apostolicæ Sedis approbatione, cuius iudicio,& correctioni eá, nósque ipsos omninò subijcimus.

F I N I S.

IN-

INDEX TITVLORVM.

De



CV-

ARchiepiſcopus Cuſentinus in Synodo Diœceſana inter cætera infraſcripta Decreta promulgauit, videlicet.

Capite quinto titulo de Baptismo, numero octauo folio decimoſexto.

Primo. Parochi fides Baptismorum nemini dent abſque noſtra licentia gratis largienda in ſcriptis obtenta, ſub eadem pœna ad noſtrum arbitrium. Pluries enim contigit in noſtra Diœceſi delinquentem, qui minor ætate ex aſpectu reputabatur, morte damnatú fuiſſe, fide Baptiſmi ad hũc finem extorta à Parocho, ac ſæpius etiam fit, vt prima tonſura indigni, atque à nobis reprobati, habita à Parocho fide Baptiſmi, alienos Epiſcopos adeant, vt ad ordines promoueantur.

Capite ſeptimo de Pœnitentia, numero octauo, folio vigeſimo.

Secundò Confeſſarius quiuis, nemine excepto, qui in confeſſione, vel ante confeſſionem, aut intrà triennium poſt confeſſionem cum Pœnitente, ſiuè maſculini, ſiuè fœminini ſexus *(quod Deus auertat)* rem turpem habuerit, vel qualemcumque mortiferam culpam ad luxuriam ſpectantem commiſerit, etiam ſi pœnitentis cum qua, vel quo peccauit, confeſſionem ſemel ſuſcepiſſet, ſi ſæcularis ſit, excommunicationem latæ ſententiæ, cu-

ius

ius absolutionem nobis reseruamus, incurrat; si verò Regularis ab audiendis confessionibus sit ipso facto suspensus, nec ad eas idoneus habeatur, quàmuis à nobis admissi ab eo eiusmodi criminis ignaris, facultatem iterum obtineat.

Capite vndecimo de Matrimonio numero tertio, folio quadragesimo sexto.

Tertiò antequam Parochus Sponsos in facie Ecclesiæ matrimonio cõiunxerit, hæc sibi nouerit esse facienda. Primò denunciationes trinas præuia licentia nostræ Curiæ gratis concedenda, præmittat tribus diebus Dominicis, vel festiuis, inter Missarum solemnia, nulla ne quidem vlla prætermissa, absque nostra licentia, quibus præmissis volumus in Ciuitate explorandum esse consensum sponsæ per Deputatum à nobis, cum interuentu Cancellarij nostræ Curiæ, qui ipsius sponsæ examen in acta referat. Extrà verò à proprio Parocho iuxtà instructionem aliàs à nobis traditam. Denique explorati consensus, ac denunciationum attestationibus ad nos transmissis constare debebit in Curia per constitutum Sponsi, & examen duorum aliorum testium in forma legitima de statu libero vtriusque Sponsi, vel quatuor, si non fuerint Sponsi eiusdem patriæ, & loci, ac post hæc liberum erit Parochis celebrare Matrimonium, præcedente tamen iterum licentia, seù decreto nostræ Curiæ, quod gratis concedetur.

Dicto capite vndecimo numero decimo nono. folio quinquagesimo.

Quar-

Quartò pœnas à Prædecessoribus nostris aliàs impositas pro accessu, ingressu, & cohabitatione Sponsorum ante Matrimonium coràm Parocho, & testibus celebratum ad pœnam librarum decem ceræ albæ pijs vsibus applicandarum tantùm redigimus, quam omninò exigi, & in pios vsus, vt supra conuerti præcipimus. Parochi si non denuncient talem accessum, siuè ingressum suspensionem ipso facto incurrant, declarantes tamen, quòd non intendimus prohibere accessum illum, qui à Sponso publicè fit cum sanguine coniunctis ad salutandam sponsam, & ad tangendum tantùm illius manum, vt vulgò dicitur.

Capite decimo sexto. De exequijs Defunctorum, numero decimo tertio. folio septuagesimo septimo.

Quintò Societas mortis, Confraternitates aliæ, & Cappellanus Hospitalis nostræ Ciuitatis in posterùm mortuos non sepeliant, nisi consultò proprio Parocho, idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ respectu Præfecti, & Confratrum dictæ Societatis, & aliarum Confraternitatum, & sub pœna suspensionis ipso facto, aliasque ad nostrum arbitrium respectu prædicti Cappellani.

Capite vigesimo secundo titulo. De Beneficijs Ecclesiasticis numero secundo.

Sextò, qui de aliquo Beneficio Ecclesiastico in nostra Ciuitate, vel Diœcesi existente à S. Sede, eiusque Summo Pontifice, aut ab alio conferendi ius habentè prouisus fuerit, litteras Apostolicas, siuè collatitias

ante illarum exequutionem in nostra Curia exhibere teneatur sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ nobis reseruatæ, vt quæ in dictis litteris continentur comprobari possint, & cognosci, num preces veritati nitantur, cum pluries fraudem factam fuisse reperimus ab impetrantibus beneficia, tùm extenuando valorem fructuum, tùm tacendo alia beneficia, quæ possident, tùm maximè non aperiendo causas, ob quas Beneficiorum sunt incapaces.

Capite vigesimo septimo. De Monialibus. numero vigesimosecundo. folio centesimo quinquagesimo primo.

Septimò. Subsidium vitalitium vnicuique Monialium quotannis præstandum à Parentibus, alijsque coniunctis seruetur in Arca depositorum cuiusque Monasterij, illudque Monialis expendet ad vestes comparãdas, aliosque proprios religiosos vsus, præuia tamen Abbatissæ licentia, toties, quoties ea vti opus fuerit. Ex redditibus proindè Monasterij prohibetur Abbatissæ aliquid erogare Monialibus, educandis, & Conuersis. In cibum subministrandum, & in alios Monasterij necessarios vsus expendere debeat, idque à Sacra Congregatione pro Monasterijs huius Ciuitatis, & Diœcesis specialiter præscriptum omninò seruare mandamus ab Abbatissis præsentibus, & futuris sub pœna ad nostrum arbitrium, non enim par est, vt Monialis, quæ pingui, vel sufficienti fruitur subsidio, pecuniam etiam singulis quibusque annis ad titulum vestiarij, & strenæ extorqueat ab Abbatissa, quæ initio administrationis suæ, vt quotidianũ

Mo-

Monialibus victum suppeditet æs alienum contrahere cogitur, deficientibus in diem Monasterij redditibus.

Et infra numero vigesimo septimo.

Octauo. Ad tollendam prauam consuetudinem, quæ diu viguit magno cum Monasteriorum incommodo, ac Regularis disciplinæ detrimento, nempè quod puellæ educandæ singulæ pro se vna quæque priuatim proprio sumptu cibum sumeret, & Monasterio annuos viginti quinque aureos solueret pro habitatione ex peculiari decreto, ac mandato Sacræ Congregationis præcipimus, quòd puellæ educandæ cibum sumant in communi cum alijs Monialibus, & quòd prædicti nummi aurei annui quadraginta pro earum habitatione, & victu quotidiano assignati, Abbatissæ, & Monasterio soluantur, quæ Abbatissa illas alat, prout cœteras Moniales in refectorio.

Aduersùs preinserta capita reclamat Ciuitas, & Clerus quid pro, quid contra faciat. Partes monitæ ad informandum deducent, ijsque auditis Eminentiæ Vestræ, quod magis in Domino expediet decernere nō grauabuntur.

Die secunda Decembris 1679. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium S. R. E. Concilij Tridentini Interpretum censuit. *Primum, Secundū, & Sextum ex præfatis Decretis abolenda esse. Respectu tertij seruandas esse ordinationes ea de re editas à Sacra Congregatione S. Officij. Quartum approbandum quòad primam partem, quò verò ad pœnam Pa-*


rochis imposita in abolendum; respectu Septimi, & Octaui, seruanda esse Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium. Ad Quintum distulit resolutionem.

Cum autem Decretum huiusmodi nunquam fuerit extraditum, institum denuò pro parte Ciuitatis, & Cleri pro expeditione, eadem Sacra Congregatio.

Die vigesimo nono Iulij, 1690. Decretum præfatum extradi mandauit.

F. Cardinalis Columna Præfectus.
R. Pall. Secretarius.

Gratis etiam quoad scripturam.




Notarij Synodalis Rogitus.

PRæscriptæ Constitutiones, & Synodalia decreta sæpius in priuata Congregatione à viris, doctrina, prudentia, ac pietate præstantibus sedulo, ac maturè disscussa, præsidēte Illustriss. & Reuerendiss. Domino Ianuario Sāfelicio Archiepiscopo Cōsentino, & coram vniuerso Clero Ciuitatis, & Diœcesis Consentinæ, seruatis de more seruandis legitimè Congregato, per R. D. Augustinum Vencia eiusdem Ecclesiæ Canonicum, Sacre Theol. Pprofes. & præsentis synodi Secretarium, alta, & intelligibili voce, lecta fuerunt. & nemine discrepante, solitis acclamationibus approbata, atque publicata, anno à SS. Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo octauo, indictione prima, die verò decima nona, vigesima, & vigesima prima Mensis Iunij Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Innocentij Diuina Prouidentia Papæ Vndecimi. Anno secundo, multis ibidem præsentibus audientibus, & Signanter R. D. Di daco Baldino, & Notario Bartholo Riccio testibus ad præmissa omnia habitis specialiter, atque Rogatis.

Ita est Ego D. Ignatius de Ranis de Consentia Apostolica authoritate Notarius, & ad præsens Curiæ Archiepiscopalis Cancellarius, Notarius Synodi Rogitus.

Locus ✠ sigilli.




Poteſt imprimi

D. Eligius Caracciolus Cl. Reg.

Imprimatur

Ioannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.



ERRATA	CORRIGE.
In prælusione. pag. 1. à tergo	
proponens	*proponentes*
ibid. ratus	*rati*
In corpore	
pag. 30. ministrauerint	*ministrauerit*
pag. 31. insigniantur	*insigniatur*
pag. 42. & sine domibus	*& si è domibus*
pag. 50. quod ipsius	*quod ipsis*
ibid. vt in sacristiæ	*vt è sacristia*
pag. 51. teneatur	*teneatur*
pag. 59. ab aduenis, exteris, aut peregrinis, alijsq; incolis, & indigenis, quam à ciuibus &c.	*ab aduenis, exteris, peregrinis, alijsq; quàm ab incolis, indigenis, & ciuibus &c.*
pag. 60. exigit	*exiget*
pag. 61. obierit	*obierint*
pag. 62. itineratibus	*itinerantibus*
ibid. aliquo derogare dericatui in nostra Curia, illorum vero, qui habitum clericalem dimittere intendunt &c.	*in aliquo derogare. Illorum verò, qui habitum clericalem dimittere, & clericatui in nostra Curia renunciare intendunt &c.*
pag. 63. Volentes	*volentes*, non deue essere principio di verso.
pag. 64. procedamus	*procedemus*
ibid. tragedijs	*tragœdijs*
ibid. comedijs	*comœdijs*
ibid. neutriquam	*neutiquam*
pag. 70. abierit	*abierint*
pag. 72. cum illis	*cum illi*
pag. 73. Parocho	*Parochos*
ibid. incunctater	*incunctanter*
pag. 74. in quo	*in qua*
ibid. explicabit	*explicabunt*
pag. 76. Pionem	*Iconem*
pag. 77. inteuentu	*interuentu*
ibid. detineat	*detineant*

ibid.

ERRATA		CORRIGE.
ibid.	*transmittat*	*transmittant*
ibid.	*vt res*	*& res*
pag. 82.	*conueniat*	*conueniant*
pag. 84.	*consultant*	*consulant*
ibid.	*eos excusari*	*eos non excusari*
pag. 86.	*graduado*	*graduando*
ibid.	*à nobis edicto*	*à nobis edito*
ibid.	*Canonibns ab eodem Concilio*	*Canonibus, & ab eodem Concilio*
pag 87.	*ne Chorus defraudetur*	*nec Chorus defraudetur*
pag. 38.	*etiam Parochus*	*etiam est Parochus*
ibid.	*num*	*nunc*
ibid.	*cum sit in prima*	*cum sit prima*
pag. 92.	*in solemniorem*	*in solemnioribus*
pag. 95.	*Venuzini*	*Venusini*
pag. 97.	*reperimus*	*repererimus*
pag. 101.	*abierit*	*obierit*
pag. 102.	*quamuis leuis*	*quamuis leui*
pag. 104.	*contingerit*	*contigerit*
pag. 105.	*rationalibus*	*rationabilis*
pag. 107.	*vbi vero necesse*	*vbi verò necesse fuerit*
pag. 108.	*à sacro*	*à sacrorum*
ibid.	*constituti*	*constitutis*
pag. 114.	*nummi aure*	*nummi aurei*
ibid.	*prouti*	*prout*
ibid.	*Consentinæ*	*Consentiæ*
ibid.	*sacrorum*	*sacra*
pag. 116.	*vnaqueq;*	*vnaquæq;*
pag. 121.	*insufficientem*	*in sufficientem*
pag. 125.	*quæruntur*	*queruntur*
pag. 127.	*monialis*	*moniales*
pag. 128.	*pia enim voluntate*	*pia enim donantium voluntate*
pag. 129.	*sunt additi*	*sunt addicti*
ibid.	*Sacro Concilio Tridẽtino*	*Sacri Concily Tridentini*
ibid.	*elegi*	*eligi*
pag. 130.	*pœna reseruata*	*pœnam reseruatam*

ibid.

ERRATA	CORRIGE.
ibid. qui	*quia*
pag. 133. comediæ	*comœdiæ*
pag. 134. seù immunis	*seù immunis, nisi fuerit legitime impeditus*
pag. 140. Boll	*Beatæ Mariæ*
pag. 141. summa	*summam*
pag. 142. studeant	*studeat*
pag. 144. semel	*non semel*
pag. 146. in curia	*incuria*
pag. 56. seruantum est	*seruatum est*
in penul. pag. à fronte preinserta	*præinserta*
in vlt. pag. sacre	*sacræ*
ibid. Pprofess:	*Profess:*
ibid. indicttione	*indictione*
ibid. D. Ignatius De Ranis	*D. Ignatius de Planis*
ibid. Notarius Synodi rogitus	*Notarius Synodi rogatus*

In Cusentina Synodi, seu in correctione Sac. Cong. incipiente Archiepiscopus Cusentinus, &c.

Capite Vndecimo. De Matrimonio, folio quatragesimo sexto	*Capite Vndecimo. De Matrimonio fol. o trigesimo tertio*
Dicto Capite Vndecimo folio quinquagesimo	*Dicto Capite Vndecimo folio trigesimo quinto*
Capite Decimo sexto. De Exequijs defunctorum folio septuagesimo septimo	*Capite Decimo sexto. De Exequijs defunctorum, folio quinquagesimo sexto*
Capite Vigesimo secundo. De beneficijs Ecclesiasticis	*Capite Vigesimo secundo. De Beneficijs Ecclesiasticis, folio nonagesimo septimo*
Capite Vigesimo septimo. De Monialibus, folio centesimo, quinquagesimo primo	*Capite Vigesimo septimo. De Monialibus, fol. centesimo decimo quarto*
Et infra	*Et infra, folio centesimo decimo sexto.*

